STATUTUM
NOBILIS CASTRI
GUALDI CAPTANEORUM

Gualdo Cattaneo

STATUTUM
NOBILIS CASTRI
GUALDI CAPTANEORUM
CONDITUM A.O.R. MCCCCXLIII

NOVIS CHARACTERIBUS REDDITUM MDCCCI

Incipiunt Rubricae Primi Libri de Officiis

Incipiunt rubricae secundi Libris Causarum Civilium

Incipiunt Rubricae Tertii Libri de Maleficiis

Incipiunt Rubricae Libri Quarti Extraordinariorum

Incipiunt Rubricae Libri Quinti
De Dannis datis

Primus Liber Statutorum Comunis Gualdi Captaneorum de Officiis feliciter incipit

In nomine Domini Nostri Iesu Christi quoniam cuncta in Superioris dispositione consistunt quo praetermisso nullum vitae fundatur exordium. Merito igitur in cujuslibet operis principium invocandum est devotissimum nomen ejus, ut sit cuiuslibet imploran-dis suffragio ad principium bonum, mediumque melius et ad fi-nem optimum nos pervenire concedit. Ideirco in principio hujus Operis, seu Statuti primo, et ante omnia invocandum censemus Nomen Omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, atque piissimae Mariae semper Virginis Matris Domini Nostri Iesu Christi Advocatricis Nostrae, ac Principum Apostolorum Petri et Pauli, Beatorumque Patrum et Protectorum Nostrorum, et Comunis CASTRI GUALDI CAPTANEORUM Michaelis Arcangeli et Sancti Antonii, et ad reveren-dam totius Curiae Celestis. Nec non ad honorem statum et exaltationem, triumphum et fidelitatem Sacrosantae Romane Ecclesiae et Sanctissimi in Christo Patris et Domini, Dni Nostri Sixti divina providentia PAPAE QUARTI, totiusque Sacri Collegii, ac ipsius Fratrum Cardinalium et in posterum Successorum eius ac etiam Recto-rum et Officialium ipsius presentium et futurorum. Sub anno Domini Nostri Iesu Christi a Nativitate

eiusdem MCCCCLXXXIII tempore Regensoratus Spectabilium Virorum CAROLI ANGELI et IACOBITII PAULI BERNABEI BARTHOLI pro mensibus Iannarii et Februarii.

Providi Viri Carolus Angeli et Ser Vignatus Iannis de Gualdo Captaneorum Statutarij dicti Comunis positi electi nominati ac deputati per Dominos Defensores, Consilium Speciale et Commune dicti Castri ad statuendum, ordinandum et reformandum quidquid predictis melius et utilius credebitur, et placebit, pro bono ac pacifico statu predictorum Hominum, Comunis, et Universitatis Castri Gualdi predicti: Quare Statutarii prefati animadvertentes .... Petrum Francisci, et Agnusdem Bartholomei de Gualdo .... cum ipsis Statutariis adessent ad omnia infrascripta ad statuendum, ordinandum, ac reformandum .... , vocaverunt ac deputaverunt me Malatestam Ser Ioannis de SPELLO Comunis Gualdi predicti Cancellarium ad scribendum omnia et singula infrascripta per ipsos Statutarios statuenda, ordinanda, ac reformanda: et quia scriptum est " initium Sapientiae timor Domini" ab infrascripto Statuto de veneratione Sanctorum, duxerunt feliciter inchoandum

De Veneratione Sanctorum

Cap. I

Statuentes ac presenti lege firmantes ut Omnipotens et misericors Deus, eiusque Beatissima Mater Maria semper virgo caeterique infrascripti Sancti et Sanctae praefatos Statutarios, Comune Gualdi praedicti, ac universos et singulos homines,

FESTA Sanctorum veneranda per Communitatem et Homines

S. Mariae, S. Ioannis Baptistae, S. Michaelis Archangeli, S. Antonii S. Petri et Pauli

et personas ipsius Castri continua protectione defendant. Quod infrascripti dies ab exercitio, cultu et laborerio omni manuali custodiantur; volunt enim in primis custodiri ab omnibus et singulis hominibus et personis incolis, habitantibus dicti Castri Gualdi et eius districtus omnes Sancti Dominicales totius Anni. Dies SANCTI IOANNIS BAPTISTAE de Mense Iunij, dies SANCTI IOANNIS APOSTOLI et EVANGELISTAE de Mense Decembris, dies SANCTI MICHAELIS ARCANGELI de Mense Maij, et dies SANCTI ANTONII de Mense Septembris tanquam principalium protectorum et defensorum hominum Castri Gualdi praedicti, dies Nativitatum Beatorum Apostolorum Petri et Pauli et aliorum omnium Apostolorum et Evangelistarum: dies SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI de Mense Septembris Festum Sanctae Luciae, Festum seu Festa Sanctarum Catarinae et Margaritae Virginum. Festum Sancti Blasij; Festum venerabile Nativitatis Domini Nostri IESU CHRISTI et proximis tribus diebus immediate sequentibus, Festum Innocentium. Festum Sancti Silvestri Papae, dies Kalendarum Ianuarij in quo celebratur Circumcisio Domini. Festum Paschatis Epifaniae. Festum Sanctae Mariae Magdalenae. Festum Paschatis RESURRETIONIS Domini Nostri Iesu Christi cum duobus diebus immediate sequentibus. Festum Paschatis ROSATAE cum duobus diebus immediate sequentibus; Festum ASCENSIONIS Domini Nostri Iesu Christi; Festum Sancti Laurentij Martiris, Festum

Omnium Sanctorum, Festum Sancti Marci, Festum Sancti Sebastiani; Festum Sancti Maccarij et Sancti Cordonis
.... de Mense Julij de mense Januarij et mense Maij: Festum Sancti Bernardini; Festum Sancti Anthonini: omnes dies Veneris de Mense Martij: quos dies festivos ut supra ab omnibus hominibus et personis Castri Gualdi, et eius districtus voluerunt et mandaverunt custodiri et celebrare. Et quod dicti homines et personae Castri praefati se abstineant in dictis diebus ab omni exercitio et laborerio manuali, campestrali et Agricolturae, ut praemittitur. Et qui controfecerit in praedictis,

POENA

vel aliquo praedictorum in Solidis quinque denariorum vice qualibet puniatur. Liceat tamen cuilibet sine poena et banno in dictis diebus, et quolibet ipsorum diebus Dominicalibus et Beatissimae Virginis Mariae, Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis, et Paschatis Rosatae et Ascensionis Domini et dies Corporis Christi dumtaxat exeptis. Ligna cum Bubus trahere pro edificiis et trasinare, et temporibus Messium, et Vindemmiarum Bladum et Mustum deferre, ac deferri facere herbam, ligna, et paleas apportare, ac Bladum ad molendum deferre, reportareque exinde domum fariniam: Addentes insuper huic Capitulo, quod singuli dies Sabbati totius Anni debeant, ut supra dictum est de aliis diebus festivis ab omnibus custodiri post horam vesperam dum pulsatur Campana, et post sonum Campanae S. Antonii de dicto Castro Gualdi et quicumque repertus fuerit in dicto Castro vel eius Territorio et districtu controfacere, seu laborare, puniatur in dicta poena

QUINQUE SOLIDORUM. excepto quam a die Festivitatis Sancti Joannis de Mense Junij usque ad Kalendas Septembris sit licitum unicuique metere, battere, ventilare, portare granum seu frumentum de campo ad aream, et de area ad Castrum Gualdi componere Palearium, et omnia alia quae pertinent ad recollectionem Bladi: et Cancellarius vel eius Officialis seu Vicarius qui invenerit delinquentes in praedictis habeat quartam partem poenae praedictae; et si negligens extiterit in puniendo praedictos, solvat nomine poenae viginti solidos Denariorum.

De Cereis offerendis in certis Ecclesiis, et de Missa celebranda in Cappella Palatii Comunis praedicti
Cap. II

Item statuerunt et ordinaverunt praedicti Statutarii ut Omnipotens Deus et eius Sanctissima Mater, et omnes Sancti, caeterique quibus infrascriptae elemosinae offerentur ipsos Statutarios et omnes alios homines et personas Castri Gualdi praedicti ab omnibus malis tribulationibus ac rebus adversis custodiant atque defendant, quod in die sexto

SANCTA MARIA DE ROCCA. Sanctae Mariae de ROCCA de Mense Augusti, si contigerit aliquo tempore quod dicta Ecclesia reaedificaretur, et in pristinum statum reponeretur, pro elemosina dictae Ecclesiae offerantur, et dentur per Comune Castri Gualdi praedicti viginti Librae Cerae adveniente praedicta conditione cum effectu, alias dicta Ecclesia seu eius

S. Antonii Septembris. Rector nihil habeat nec petere possit. Item quod in die sexto S. Antonii de Mense Septembris pro elemosinis Den-

tur et offerantur dictae Ecclesiae S. Antonii per dictum Comune Viginti Librae Cerae. Item quod in festo Sancti Antholini de Mense Septembris dentur et offerantur dictae Ecclesiae S. Antonii per dictum Comune Duo Librae Cerae. Item quod in festo Sancti Angeli dentur offerantur dictae Ecclesiae per dictum Comune Duo Librae Cerae. Item dictae Ecclesiae S. Antonii in festo Sancti Ioannis de Mense Decembris Duo Librae Cerae per dictum Comune offerantur. Item dictae Ecclesiae S. Antonii in festo Sancti Blasii dentur et offerantur Duo Librae Cerae per dictum Comune. Item Ecclesiae Sancti Andreae de Castro praedicto pro elemosinis in festo Sancti Andreae de Mense Novembris dentur et offerantur per dictum Comune Quatuor Librae Cerae. Item dictae Ecclesiae S. Andreae in festo Sancti Stephani dentur et offerantur Duo Librae Cerae per dictum Comune. Item dictae Ecclesiae S. Andreae in festo Sancti Fabiani et Sebastiani dentur et offerantur per dictum Comune Duo Librae Cerae. Item Ecclesiae Sancti Augustini de dicto Castro in festo Sancti Benedicti de Mense Martii pro elemosinis dentur et offerantur per dictum Comune Duo Librae Cerae. Item dictae Ecclesiae S. Augustini in die festo Sancti Martini per dictum Comune dentur et offerantur Duo Librae Cerae. Item dictae Ecclesiae S. Augustini in festo Sancti Nicolaj dentur et offerantur due Librae Duo Cerae. Item dictae Ecclesiae Sancti Augustini in die festo Sancti Augustini dentur et offerantur per

S. ANTHOLINI. Septembris

S. ANGELI. Mense Maij

S. IOANNIS. Decembris

S. BLASI. Februarii

S. ANDREAE. Novembris

S. BENEDICTI. Martii

dictum Comune Duo Librae Cerae. Item dictae Ecclesiae S. Augustini in die festo Beati Petri Pecciaroni dentur et offerantur Una Libra Cerae. Item Confraternitati Beati Ugolini in die festo Circumcisionis pro elemosinis dentur et offerantur Duo Librae Cerae per dictum Comune. Item Monasterio Sanctae Mariae de CIVITELLIS in die festo S. Mariae de Mense Augusti pro elemosina dentur et offerantur per dictum Comune Duo Librae Cerae. Item dicto Monasterio in die festo S. Iacobi et S. Philippi in Kalendis Maij pro elemosina dentur et offerantur per dictum Comune Duo Librae Cerae. Teneantur tamen pro dictis elemosinis omnes Religiosi Ecclesiae Sancti Antonii Ecclesiae Sancti Andreae et Ecclesiae Sancti Augustini ad laudem et gloriam et reverentiam Omnipotentis Dei, eiusque gloriosissimae Madris Mariae semper Virginis, omnium Sanctorum et Sanctarum Dei, videlicet unus ipsorum quolibet die Sabati secundum consuetudinem celebrare Missam in Cappella Palatii Comunis Gualdi residentiae Potestatis. Et quicumque ex dictis Religiosis fuerit negligens in Missis in supradicta Cappella celebrandis non habeat, nec aliquo quaesito colore petere possit dictas elemosinas, immo eas ipso facto perdat et amittat.

MISSA celebranda in Palatio Comunis die Sabati

De Electione Domini Potestatis et eius officio.

Cap. III.

Quia condere leges et Statuta parum prodesset, nisi esset qui eas observari faceret et executioni mandaret, idcirco provida deliberatione ac presenti constitutione firmandes praefati Statutari statuerunt et ordinaverunt, quod dein-

-ceps in Castro Gualdi sit et esse debeat unus Rector, cui titulus Potestariae sit attributus, qui ut jura communia dicet, et summa Statutorum dicti Castri postulet in civilibus et criminalibus causis ac extraordinariis, et in aliis dictum Potestariae officium concernentibus, ad ipsumque spectantibus et pertinentibus secundum formam dictorum Statutorum liberam et plenissimam jurisdictionem et bailiam habeat exercendi in Castro praedicto, ejusque Territorio et Districtu, cujus quidem Potestatis electio fiet et fieri debeat de sex mensibus in sex menses per Dominos Defensores et Speciale Consilium dicti Castri coadunatum ad sonum Campanae more solito, quae electio mittatur et mitti debeat ad partitum in dicto Consilio, et obtinere per duas partes Consiliariorum ad minus, alias ipsa electio facta non teneat. Obtenta itaque dicta electione, ut supra scribi debeat per Cancellarium Comunis Gualdi praedicti juxta formam hic inferius annotatam, et praedicto Potestati sic electo cum injunctis Capitulis, mitti et destinari debeat pro parte dictorum Defensorum et dicti Comunis per Nuntium ad hunc actum per ipsos Dominos Defensores deputandum. Formam vero dictae electionis talem esse volumus, videlicet quod Potestas praedictus, qui sic fuerit electus, debeat et teneatur se personaliter conferre ad Officium praedictum eo die quo fuit in ejus electionem confirmatus et in dicto Castro Gualdi stare ac pernoctare continue, et ab inde non discedere absque licentia praefatorum Dominorum Defensorum.

Debeat dictus Potestas sic electus singulis diebus, et horis congruis, et juridicis de mane, et sero sedere ad Bancum Juris Causarum Civilium et Criminalium existenti in Palatio dicti Comunis juxta sua latera ad jus et justitiam reddendum et ministrandum unicuique postulanti. Item teneatur et debeat jura, privilegia exemptiones et immunitates quascumque dicti Comunis perpetuo defendere et manutenere pro Viduis, orphanis et pupillis, et etiam personis Ecclesiasticis bona Ecclesiae ministrantibus, Hospitalibus et Fraternitatibus et aliis miserabilibus personis Jus summarium, expeditum et favorabile ministrare sine strepitu et figura judicii, omnis juris, et Statutorum praedictorum solemnitate omissa. Hoc non et Forensibus dummodo in locis unde sunt Statutum vigeat et observetur: Item teneatur et debeat officium Defensoratus, et ipsos Dominos Defensores qui pro tempore fuerint .... defendere, et gubernare: Item Universitatem praedictam manutenere, regere et conservare sub obedientia fidelitate et devotione Sacrosanctae Romanae Ecclesiae, et Sanctissimi Domini Nostri Sixti Papae Quarti, et suorum in posterum canonice intrantium Successorum: Salarium vero dicti Potestatis pro dictis sex mensibus esse volunt viginti florenos, ad rationem quadraginta Danariorum pro singulo floreno, et nihil aliud nomine Salarij a Comuni praedicto pro dictis sex mensibus petere possit. De quo quidem Salario in fine sui regiminis relinquere teneatur et debeat pro una Balista duos Florenos ad dictam rationem in Comuni praedicto. Et omnia et singula Statuta in presenti Volumine contenta ad

cuum Officium pertinentia Potestas praedictus vinculo juramenti teneatur, et debeat observare, et inviolabiliter observari facere. Finito autem tempore sui regiminis stare debeat ad Sindacatum in dicto Castro tribus diebus coram Sindacatoribus eligendis per dictos Dominos Defensores, et Consilium speciale, et talis electio fiat, et fieri debeat in Palatio ultimo Mense, postquam sit Officium vacatum, et ipsa electio sic facta teneat, et plenam obtineat roboris firmitatem, addentes tamen quod nullo modo possit intra tempus sui regiminis Sindacari, poena proponenti in aliquo Consilio Quinque Librarum Denariorum contrafacienti .... in dimidia.

De Reassignatione Librorum
Cap. IV.

Item statuerunt et ordinaverunt quod Potestas qui pro tempore fuerit tribus diebus ante exitum sui Officii debeatur resignare omnes, et singulos libros et Scripturas quos, et quas ipse fecerit et ordinaverit in suo Officio, et cartas signare et ipsos Libros et Scripturas simul ligare et ligatos vel ligatas sigillare sigillo Communis, et Potestatis praedicti, nec desigillari donec pervenerint ad manus Sindacorum eligendorum per dictum Commune ad Sindacandum dictum Potestatem: Et omnes alios Libros, et Scripturas dicti Communis ad eius manus perventas Cancellario dicti Communis reassignare ipse Potestas teneatur: Simili modo omnes, et singulas res dicti Communis in Palatio existentes, et sibi in principio suo Officii per Inventarium

assignatas Sindico Comunis praedicti infra dictum tempus resttigiare teneatur.

De Electione, et Officio Dominorum Defensorum
Cap. V.

Ad hoc ut Castrum Gualdi praedicti, eiusque Districtus, ac universi Homines et Personae eiusdem recto stilo Officii valeant melius conservari, et gubernari in pace et quiete ad fidelitatem semper Sanctae Matris Ecclesiae, statuerunt et ordinaverunt, quod per presentes Dominos Defensores, Consiliumque Speciale aut per majorem partem eorum debeat eligi, ordinari et renovari Officium Defensoratus in hunc modum, videlicet. Quod dicti Domini Defensores et Consilium eligant, et eligere teneantur, ut debeant quatuor Bonos Homines de dicto Castro, qui quidem quatuor Homines habeant plenum et liberum arbitrium vigore et auctoritate praesentis Statuti dictum Officium Defensoratus facere, creare, ordinare et renovare per decem et octo menses: Ad quod Officium deputentur DECEM et OCTO BONI et IDONEI VIRI quorum duo nomina scribantur in una Cartutia quae coperiatur cera, et fiat una Pallucta, et sic de singulis usque ad NOVEM Palluctas inclusive, ita quod fiant per dictos decem et octo menses novem Palluctae, ut supra singillatim cera cohopertae, quae in una Bussula missae poni debeant, et mitti in quadam Cassecta ad haec deputata, clausa duabus clavibus, quarum una sit penes unum Defensorem et altera penes alterum Defensorem pro tempore existentes, quae Cassecta debeat observari in quodam Armario existente in Ecclesia Sancti Antonii dicti

Castri Gualdi, et clauso duobus clavibus quarum una habeat, et teneat unus Defensor et alteram alter Defensor, qui pro tempore fuerint, quam Cassectam praesentes Domini Defensores per quatuor dies ante eorum exitum debeant una cum Consilio ire et se personaliter conferre ad dictam Ecclesiam Sancti Antoni, et de dicto Armadio extrhai facere dictam Cassectam, et eamdem per Bajulum Comunis ante ipsos Defensores et Consiliarios deferri facere, et portare ad Palatium Comunis Residentiae Domini Potestatis ubi aperta dicta Cassecta per praefatos Dominos Defensores claves retinentes, de dicta Bussula extrhai debeant nomine Cancellarii dicti Comunis omnes Pallucttae in dicta Bussula existentes, quae per eumdem mictantur in quodam Bacili de quo manu .... extrhai debeat una Pallueta tantum, et illi duo Homines .... per Cancellarium Comunis praedicti, alta et intelligenti voce lecti nominati et publicati sint et esse debeant Domini Defensores in Castro Gualdi praedicti, et eorum Officium duret per duos menses continuos inchoandos Kalendis Mensis Maji proxime venturi, et finito dicto tempore duorum Mensium per quatuor dies ante finem eorum Officii debeat similis forma supra tradita observari, donec dicta imbussulatio durabit. Et deinde finita dicta imbussulatione debeat alia in simili forma renovari. Addentes huic Capitulo, quod si contigerit aliquem de praedictis imbussulatis fuisse mortuum sive absentem, et non redeuntem ad dictum Officium, quod praedicti quatuor Homines Imbussulatores possint et debeant alium loco mortui vel absentis ponere, et eligere prout eis videbitur et pla-

cebib. Et hoc facto dicta Cassetta claudatur et reponatur per praedictos ad dictum locum, et ibidem observetur, et custodiatur ut supra.

De Iurisditione Dominorum Defensorum. Cap. VI.

Item Statuerunt et ordinaverunt, quod Domini Defensores, qui pro tempore fuerint ne forma trascendant in exercendo praefatum eorum officium in introitu eorum Officii teneantur, et debeant ad delationem Cancellarii Comunis praedicti, qui pro tempore fuerit, manibus corporaliter tactis Scripturis Sacramentum prestare debere et legaliter et bona fide exercendo Officium Defensoratus ad honorem, Statum et exaltationem Sacrosanctae Romanae Ecclesiae et Sanctissimi in Christo Patris, et Domini Sixti divina providentia Papae Quarti, suorumque in Pontificatu Successorum et ad bonum et pacificum Statum, ac pacem et perpetuam unionem Comunis et Hominum Castri Gualdi. Item quod non permittant durante eorum officio, quod Pecuniae dictae Comunitatis convertantur, neque expendantur nisi pro evidenti necessitate utilitate et bono Comunis praedicti. Volunt tamen praedictos Dominos Defensores liberam auctoritatem habere vigore presentis Statuti de Pecuniis dicti Comunis expendendi pro ipsius Comunis evidenti utilitate et bono absque alicuius Consiliarii, vel alterius requisitione usque in quantitatem Quinque Librarum Denariorum. Et Camerarius qui pro tempore fuerit debeat usque in dictam quantitatem solvere ad instantiam ipsorum. Et quod dicti Domini Defensores habeant et habere debeant pro

eorum Salario DUAS FLORENOS, videlicet Unum Flore-
num pro quolibet ad rationem 40 Bolonenorum
pro singulo Floreno, quos Duos Florenos Came-
rarius praedictus solvi teneatur, et debeat mandato
ipsorum Defensorum. Et dicti Domini Defensores non possint
nec debeant venire ad Palatium sine Mantello de colore, et
sine Calligis et Sotularibus ad poenam Decem Solido-
rum pro quolibet et qualibet vice de eorum Salario retinen-
dorum, et si opus fuerit Potestas teneatur contra prae-
fatos si facientes facere executionem finito ipsorum Offi-
cio, ad poenam Quinque Librarum Denariorum
de suo Salario retinendorum, si in praedictis exequendis negli-
gens extiterit. Item dicti Domini Defensores habito primo
inter eos colloquio teneantur, et debeant facere omnes et sin-
gulos propositas occurentes in Consiliis quae fient tempo-
re ipsorum Officii, praeter quam PROPOSITAS PROHI-
BITAS ex forma presentis Statuti. Addentes ad quod
dicti Domini Defensores possint et valeant dicta cujus-
cumque consiliari arringantis in Consilio mittere ad partitum
prout de eorum processerit voluntate excepto dumtaxat si dic-
tum illius esset contra formam Statuti alicujus inserti
in Volumine dictorum Statutorum. Et iidem Domini Defen-
sores teneantur et debeant ea die qua jurabunt Officium,
ad se venire facere OMNES CLAVARIOS PORTARUM
CASTRI GUALDI cum clavibus dictarum Porta-
rum, et sibi presentari facere et recipere ab eis, et ipsas
receptas eisdem, vel aliis prout et sicut de ipsorum Domino-
Defensorum processerit voluntate, et mandato dare et assigna-

-re. Item dicti Domini Defensores habeant arbitrium et potestatem eligendi unum Sindacum factorem et Nuncium Specialem vel plures qui faciant et administrent facta dicti Comunis, praesertim possessionum, et Terrarum tam cultas quam incultas ipsius Comunis, et hoc toties quoties ipsis Dominis Defensoribus videbitur necessarium et opportunum pro utilitate dicti Comunis. Et prae-dicta omnia et singula in presenti Capitulo contenta, et alia ad eorum Officium pertinentia et spectantia quae in aliquo Capitulo presentis Voluminis reperirentur inser-ta, teneantur et debeant vinculo juramenti observare. Et quod ipsi Domini Defensores toto tem-pore eorum Officii sint, et debeant esse exem-ptos a custodia, et aliis factis omnibus personalibus, et quod durante eorum Officio NON DEBEANT, NEC POSSINT IN CURIA COMUNIS AB ALIQUO TERRIGENA VEL FORENSE CON-VENIRI, excepto dumtaxat propter malefícia nec quemquam qualicumque occasione conve-nire in dicta Curia, et si secus factum fuerit non teneat, nec sit alicujus valoris.

DE OFFICIO CANCELLARI et eius SALARIO
Cap. VII

Item Statuerunt et ordinaverunt quod Cancellarius Co-munis Gualdi praedicti eligatur in Consilio Speciali sive per electionarios in dicto Consilio eligendos pote-statem habentes eligendi dictum Cancellarium, et sit HOMO BONUS, LITERIS ERUDITUS, BENE

MORIGERATUS, INTEGER, et OFFICIIS COGNITUS, qui Cancellarius ut supra eligatur pro Semestri tantum et in dicto Semestri habeat et habere debeat pro suo Salario Florenos Quindecim ad rationem 40. Bonenorum pro singulo Floreno, retinendo in fine sui Officii de dicto suo Salario uno Floreno ad dictam rationem pro una Balista dicto Comuni relassando, et plus pro dicto suo Salario exigi non possit, relato sibi corporali juramento de bene et fideliter exercendo............ Qui Cancellarius stare et habitare debeat in Cancellaria Comunis posita in dicto Castro subter Palatium Comunis praedicti residentiae Potestatis dicti Castri, et ibidem moram trahere et numquam discedere et se absentare a dicto Castro sive ejus territorio videlicet pernoctando alibi sine expressa licentia Dominorum Defensorum pro tempore existentium, sive dicti Specialis Consilii: Et habeat et habere debeat pro usu dictae Cancellariae et eius Offitii chartam intinctam et Ceram rubeam ad sufficientiam sumptibus et expensis dicti Comunis. Deinde dictus Cancellarius in introitu sui Offitii teneatur facere unum librum in quo in primis scribatur "Hic est Liber etc." Deinde scribantur Bannimenta generalia ad dictum Offitium pertinentia, prout ad present viget consuetudo: Et quod in principio dicti sui Offitii in dictis Bannimentis generalibus exprimatur inter alia et alta voce Preconis etiam per loca publica et consueta dicti Castri quod quicum-

que de dicto Castro Gualdi, vel eius districtu, sive habitator eiusdem voluerit pro dicto Semestri licentiam alicui concedere de bonis suis, sive ad ipsum quocumque titulo et coptumi, et laboritii pertinentibus et spectantibus, debeat coram eo comparere infra terminum octo dierum proxime futurorum a die facti bannimenti currere incipientium et ut sequitur finiendorum, et faciat per ipsum Cancellarium scribere dictam licentiam in Bastardello ipsius Cancellarii ubi scribuntur omnes inquisitiones et accusationes per homines dicti Castri fiendas et in dicto Comuni relassando, publicato meum dicti Cancellarii et quicumque venit elapso dicto termino non audiatur: salvo et reservato quod in primo et secundo gradu tantum inter conjunctos volunt intelligi dictam licentiam fuisse concessam omni tempore duraturam donec vixerint dicti Conjuncti in primo et secundo gradu tantum ut dictum est non obstante dicto Bannimento: Dummodo procedat hoc de voluntate ipsorum, alias dictae Licentiae inter Conjunctos non valeant nec locum habeat quod apparebit quando quis dixerit "nolo talem Conjunctum meum habere licentiam de meo coram Cancellario." Addentes quod tales licentiae ut supra infra dictum terminum concessae et subscriptae non habeant locum in Damnis datis de nocte prout illatis in possessionibus illorum qui dederunt dictas licentias: Volunt et quod omnes licentiae modo praedicto descriptae habeant locum in damnis datis, factis et repertis per

intentionem dicti Cancellarii sive eius Vicarii si eum habuerit, et in damnis datis ... per Gualdanos dicti Castri: In aliis vero damnis datis per inquisitionem et accusationem factis volunt non habere locum immo in inquisitoribus per quoscumque fiendis volunt in exceptionibus ipsarum apponi et scribi debere omnes illos poenam non solituros ad voluntatem illius qui fecerit inquisitionem, dicendo exceptis talibus nominatim prout sibi videbitur et placebit, et excepto uno de domo intelligatur omnes excepti in eadem domo habitantes et conviventes, et de omnibus bestiis ipsorum: voluerunt etiam in dicto libro scribantur omnia consilia in dicto semestri fienda cum inscriptione dierum mensium et millesimi, cum propositis per Defensores pro tempore existentes in eisdem factis, cum dictis et consultationibus in eisdem Consiliis per Consultores redditis cum ipsarum Consultationum partitis ad Bussulam et Ballottas solemniter missis, et quibus fatis obtentis et quibus in contrarium repertis: Scribantur etiam in dicto Libro omnes contractus pro dicto Comuni celebrandi de quibus rogatus fuerit ipse Cancellarius et per dictum Cancellarium si oportuerit in publicam formam redigi sine aliqua mercede: ac etiam registrentur in dicto libro omnes Patentes et Commissiones per Superiores fiendae Dominis Defensoribus, Potestati, Cancellario sive aliis Officialibus dicti Comunis. Nec non registrentur omnes electiones Potestatis et Cancellarii in dicto semestri

fiendae cum omnibus et singulis capitulis in eisdem adscriptis: Et quod arbitrium dicti Cancellarii de imponendo poenam alicui pro qualibet vice sit et esse debeat usque in quantitatem quinque solidorum et non plus de facto exigendam, pro tribus partibus applicandorum dicto Communi et pro quarta parte Cancellario praedicto. Statuentes etiam quod dictus Cancellarius de omnibus et singulis damnis per inventionem ipsius per inquisitionem, per accusationem, et per Gualdanos factis, et per quoscumque et undecumque et quomodocumque emergentibus et veteribus per ipsum exactis habeat et habere debeat quartam partem quibuscumque in contrarium non obstantibus: ET QUOD IN OMNIBUS DAMNIS DATIS intus Castrum Gualdi personaliter vel cum bestiis illatis possit dictus Cancellarius procedere prout in aliis extra Castrum praedictum commissis: Possit etiam procedere dictus Cancellarius contra omnes et singulos homines et personas non custodientes dies festos et diem Sabati post sonum Campanae secundum formam Capituli loquentis de veneratione Sanctorum: Item extra dictum Castrum per territorium et districtum eiusdem: Possit etiam dictus Cancellarius procedere contra omnes et singulos homines et personas occupantes .... ubicumque extra dictum Castrum in territorio et districtu eiusdem secundum formam Capituli de tali materia loquentis: Simili modo procedere possit contra omnes et singulas personas facientes aliquid in fontibus extra dictum Castrum in territorio et districtu eiusdem existentibus contra formam Capituli

loquentis de Pontibus: Et nihilominus de praedictis omnibus ut supra dictum est quartam partem pene recipere teneatur. Et totum dictum Capitulum in omnibus et per omnia inviolabiter ab omnibus volunt observari: volunt tamen finito dicto Semestri Cancellarius praedictus stare debeat ad Sindacatum in dicto Castro tribus diebus coram Sindacatoribus eligendis per Dominos Defensores sive speciale consilium.

DE ELECTIONE, JURAMENTO et OFFICIO CAMERARI COMUNIS. Cap. VIII.

Item statuerunt et ordinaverunt quod quatuor super imbussulatione et renovatione Officii Defensoratus ut supra in alio praecedenti Capitulo fit mentio habeant etiam et habere debeant auctoritatem liberum arbitrium et facultatem vigore presentis Capituli elegendi et imbussulandi pro eo tempore, quo Domini Defensores imbussulantur, videlicet per decem et octo menses, ut supra in alio Capitulo sex bonos et idoneos viros ad Officium Camerariatus in dicto Castro deputandos, qui sic electi per dictos quatuor scribi debeant, conservari et extrahi videlicet unus pro qualibet vice secundum formam superius traditam de electione et extractione Dominorum Defensorum et singulariter renovari. Cujus quidem Camerarii sic extracti de dicto Bussulo duret Offitium per tres menses et ipso finito fiat nova extractio quemadmodum de Defensoribus. Et praedictus Camerarius qui fuerit sic extractus et assumptus ad Offitium Camerariatus teneatur, et debeat ea die qua extractus fuerit, coram Potestate, et Dominis Defensoribus se presen-

tare et manu corporaliter tactis scripturis ad delationem Cancellarii dicti Communis qui pro tempore fuerit, jurare ad Sancta Dei Evangelia dictum Offitium Camerariatus bona fide et legaliter exercere sine fraude remotis odio amore timore prece, pretio, et omni alia humana gratia. Voluerunt insuper et ordinaverunt quod dictus Camerarius infra tertiam diem post initium sui Offitii per Cancellarium dicti Communis fiat liber Camerariatus sumptibus et expensis Communis praedicti, in quo quidem Libro per manus dicti Cancellarii scribi faciat ipse Camerarius omnes et singulas pecunias et quoscumque introitus dicti Communis, qui ad eum pervenerint ac etiam omnes exitus.... habuerit: Et ipsos introitus, et exitus, et pecunias scribi facere teneatur et debeat ea die qua ipsas pecunias receperit, vel expendiderit ad poenam Decem Solidorum pro qualibet vice qua omiserit, et negligens fuerit in scribi faciendo. Item quod Camerarius non possit nec valeat de pecuniis dicti Communis ad eius manus perventis solvere ultra summam QUINQUE LIBRARUM, ut supra de arbitrio Dominorum Defensorum contineetur, absque deliberatione fienda per Dominos Defensores, et Consilium speciale, et si secus fecerit solvendo absque deliberatione praedicta, totum id quod solverit de suo proprio dedisse, et solvisse intelligatur. Item quod dictus Camerarius non possit nec valeat se absentare a dicto Castro et eius districtu sine licentia Dominorum Defensorum pro tempore existentium, ad poenam Decem Solidorum pro qualibet vice. Statuentes etiam quod Camerarius praedictus

teneatur, et debeat ad poenam Viginti Solidorum in
fine cujuslibet mensis sui Offitii legi facere omnes introi-
tus et exitus dicti Communis ad ejus manus perventos et
factos in Consilio Speciali. Voluerunt insuper quod ipse
Camerarius interesse debeat omnibus et singulis consiliis
generalibus, specialibus fiendis in dicto Communi ad poenam
praedictam pro qualibet vice de facto auferendam per Pote-
statem si secus fecerit. Et in principio ejusdem Consilii
antequam in ipsis Consiliis aliquid proponatur vel consu-
latur Potestati in eisdem, quod Potestas et Domini Defenso-
res non debeant aliquid directe vel indirecte proponere quod
sit contra formam Statuti dicti Communis. Et quod nul-
lus Consiliarius super tali proposito facto contra formam
Statutorum praedictorum consulet, vel arrenghet ad poe-
nam contentam in Statuto loquente in quibus casibus
proponi et arrengari in Consilio non liceat. Item quod
finito tempore dicti Camerariatus idem Camerarius post
depositionem sui Offitii intra tres dies debeat dedis-
se et assignasse Librum sui Offitii, et ra-
tionem ejusdem administrationibus eidem Patrocinatoribus
ordinandis per Dominos Defensores qui pro tempore erunt.
Et si negligens fuerit in reddendo rationem villicationis
sui Offitii, solvat nomine poenae de facto Solidos
Viginti, et durante tempore dicti sui Offitii sit
et esse debeat tantummodo exemptus a custodia diurna
et nocturna: Hoc tamen addito, quod dicta exemptio
custodiae intelligatur et sit pro tempore trium mensium
quibus durat Offitium, licet ultra dictum tempus reas-

eguare suam rationem ut supra: Qui Patrocinatores eligendi ut supra, habeant à Comuni pro eorum salario Solidos Quinque Denariorum pro quolibet.

DE CONSILIIS SPETIALIBUS et GENERALI CONSILIO et eorum OFFITIO, et de JURAMENTO BAJULORUM

Cap. IX.

Item Statuerunt, et ordinaverunt quod in dicto Castro Gualdi pro bono regimini Populi dicti Castri sint et esse debeant duo Consilia Spetialia prout ad presens sunt et quidlibet sit numero XXIV Bonorum Hominum quorum unum incipiat Kalendis Ianuari et duret pro sex mensibus ut sequitur, et aliud Consilium etiam XXIV Hominum incipiat Kalendis Iulij immediate sequentis finitis dictis primis sex mensibus primi Consilii et duret pro sex mensibus ut sequitur, et finitis dictis sex mensibus reincipiat. Haud primum Consilium in Kalendis Ianuarii, ut praedictum est et sic semper forma praedicta servetur. Quae duo Consilia Spetialia sint, et esse debeant perpetua, et durent quousque supervixerint Consiliarii ad presens in eis descripti. Et si contigerit aliquos de dictis Consiliariis mori, quod supradicti quatuor Imbussulatores et qui pro tempore fuerint auctoritate presentis Statuti una cum Defensoribus tunc existentibus possint et valeant alios ponere et describere loco praemortuorum prout eis visum fuerit aequum, et justum, et quidquid per unum et Spetiale Consilium dictorum duorum Consiliorum fuerit gestum

decretum, statutum et reformatum teneat et valeat ac si fuisset factum per dicta duo Consilia in simul cohadunata, sive per Consilium generale: Quae Consilia videlicet novum et vetus pro rebus magnae importantiae cohadunentur prout visum fuerit Defensoribus pro tempore existentibus et aliter non: Et si contigerit quod essent res majoris et maximae importatae quod tunc praecipiatur, vocetur et cohadunetur in Palatio Comunis praedicti Residentiae Domini Potestatis unus Homo pro quolibet Foculari et istud appelletur Consilium Generale, quod Consilium nisi ex necessitate et causis maximae importantiae, ut dictum est, non cohadunetur, quod semper remaneat, et sit in pectore Defensorum pro tempore existentium. Et quidquid per supradicta duo Consilia Spetialia sive per unum ipsorum fuerit factum stantiatum, et reformatum teneatur ratum, et firmum, et teneat et valeat ac si fuisset factum per dictum Generale Consilium. Item quod Consilium Spetiale quod pro tempore fuerit ad requisitionem Potestatis in principio sui Offitii possit, valeat et debeat eligere Octo Guardarios, videlicet unum pro quolibet Breve servato ordine infrascripto de Brevibus videlicet in primis pro Breve Sanctae Mariae pro Breve Sancti Antoni, pro Breve Vici Montanave, pro Breve Marchesis pro Breve Vaccarae pro Breve Cavallarae pro Breve Loris et pro Breve Villae ad referendum omnia et

singula maleficia commissa in dicto Castro Gualdi, sive eius territorio, et districtu, et omnia alia ad Offitium dicti Potestatis pertinentia et spectantia, et dicti Gualdarî durent pro dicto suo semestri, et non plus, etiam si fuerint refirmati et non sint minores XX annis Gualdarî praedicti. Simili modo dicti Consiliarii possint et debeant ad requisitionem Cancellarii eligere Octo Guardarios ad referendum omnia et singula damna data per ipsos et quemlibet ipsorum reperta in dicto Castro sive eius territorio, et districtu. Qui Gualdarii ad delationem Cancellarii dicti Comunis jurent eorum offitium bene et legaliter exercere absque malitia et fraude, remotis ab eis amore, timore, odio, prece, pretio, et omni alia spetiali et humana gratia. Item quod praedicti Consiliarii spetialis Consilii una cum Dominis Defensoribus habeant arbitrium eligendi, et nominandi Bajulos et Precones quandocumque, et quotiescumque fuerit opus et videbitur opportunum et eidem statuere et ordinavere salarium prout eis visum fuerit et placebit. Teneantur insuper dicti Consiliarii illo die quo primo venerint ad Consilium ad delationem Cancellari Comunis praedicti jurare ad Sancta Dei Evangelia manibus dictis corporaliter scripturis, dictum eorum Offitium bene et fideliter exercere et quod Potestas teneatur et debeat praedictis Consiliariis pro prima vice qua Consilium cohadunabitur per Bajulum denuntiari facere, et significari eorum Offitium.

DE CONSILIO CONGREGANDO

Cap. X.

Domini Defensores ad poenam Quinque Solidorum pro quolibet ipsorum et vice qualibet semper quando pulsatur Campana dicti Comunis ad Consilium ad secundum sonum dictae Campanae venire et se presentare coram Potestate debeant ad poenam Decem Solidorum. Alii vero Consiliarii omnes de Consilio venire debeant ad Consilium pulsato tertio sono dictae Campanae, et in dicto Consilio stare et qui non veniret antequam fiat requisitionem Consiliariorum solvat supradictam poenam pro quolibet et qualibet vice: Et quicumque ex dictis Consiliariis veniret ad dictum Consilium sine sotularibus solvat poenam praedictam. Illi vero qui haberent justam caulam non teneantur ad poenam si non venirint ad Consilium: Et quod sit justa eorum causa remaneat discretioni Domini Potestatis et Dominorum Defensorum pro tempore existentium: Et quod praedictum Consilium debeat congregari et coadunari mandato Potestatis et Defensorum si dictus Potestas fuerit presens alias possit coadunari mandato Defensorum tantum: Et si aliter fieret nihil in dicto Consilio fieri possit, vel deliberari, et si deliberatum fuerit non teneat ipso jure.

DE OFFICIO BAJULORUM et BANDITORUM

De eorum Juramento

Cap. XI.

Item statuerunt et ordinaverunt quod Banditores seu Bajuli Comunis Castri Gualdi debeant eligi per Dominos Defensores et Consilium Speciale, et ipsis Salarium ordinare per praedictos juxta formam supra traditam in Statuto

Sub Rubrica de Consiliis: Et quicumque fuerit electus Bajulus Sit et esse intelligatur et debeat etiam esse Banditor, et possit, teneatur, et debeat utrumque Offitium exercere: Item quod ea die qua fuerit electus debeat se coram Dominis Defensoribus presentare, et de dicto Offitio bene et legaliter exercendo manibus corporaliter tactis Scripturis Sacramentum prestare in manibus Cancellarii Communis praedicti: Et Potestati, Defensoribus et Cancellario in omnibus et per omnia quae sibi Offitiales praedicti praeceperint et mandaverint obedire, citationes facere, et eas Potestati referre infra secundam diem, et bannimenta facere ad mandatum Domini Potestatis et Cancellarii, etiam ad mandatum cujuscumque alterius particularis personae petentis pro factis propriis, et habeat pro hujusmodi bannimento vice qualibet sex Denarios, tenutas accipere et Creditoribus assignare, pignora quae acceperit custodire, et servare, et ea ad mandatum Domini Potestatis vel Cancellarii consignare, et pro quolibet pignore quod acceperit qualicumque occasione possit accipere et habere sex Denarios, et pro qualibet citatione et pignoratione, seu datione tenutae, et aliis secundum ordinem hic inferius denotatum et traditum videlicet pro qualibet citatione quam dictus Bajulus fecerit ad petitorem cujuscumque personae recipere possit et valeat ab illa persona ad cujus instantiam citationem fecerit si in Castro Gualdi pro qualibet citatione, et quolibet citato sex Denarios tantum, si ad instantiam Terrigenae fuerit citatus, si vero Forensis accipiat duplum.

Si vero Bajulus citaret aliquam personam ad petitionem alicujus in aliqua Villa districtus Gualdi, accipiat pro qualibet citatione, et quolibet citato Duodecim Denarios

si ad instantiam Terrigenae si autem ad instantiam duplum accipiat. Quando vero Bajulus praedictus iret ad dandum tenutam vel pignorandum aliquam personam in Castro Gualdi vel ad citandum ad dedictam accipiat Denarios sex et totidem Denarios pro sequestratione. Si vero in districtu extra dictum Castrum iret ad capiendum aliquem vel ad dandum tenutam alicui accipiat et accipere possit Decem Solidos Denariorum, et non ultra. Item quod supradictus Bajulus teneatur et debeat ad poena quinque Solidorum de suo Salario retinendorum qualibet die ad requisitionem Cancellarii ire per Territorium dicti Castri et eius districtus ad perquirendum damna personaliter, vel cum Bestiis inferenda, videlicet postquam de mane Potestas discesserit de Banco, et quod dictus Potestas teneatur sedere ad Bancum de mane ante Tertiam ad poenam infrascriptam pro qualibet vice qua contrafecerit, et dictus Bajulus teneatur de mane referre Potestati omnes citationes pro sero factas, et sequenti ad poenam praedictam si contrafecerit ad hoc ut de sero hora cantarum Civilium dictus Bajulus possit ire cum dicto Cancellario ad perquirendum damna praedicta, et si in praedictis dictus Bajulus fuerit negligens puniatur supradicta poena pro qualibet vice qua contrafecerit. Attendentes etiam pro conservatione possessionum et fructuum Hominum dicti Castri quod si Potestas in praedictis omnibus observandis negligens fuerit, videlicet retinens dictum Bajulum dicto tempore pro rebus minimis et parum importantibus puniatur pro qualibet die poena quadriginta Solidorum de suo Salario retinendorum. Addentes quod in omnibus, et

per omnia relationi dictorum Bajulorum plena fides adhibeatur absque aliquo alio juramento per quemcumque petito si in principio sui Offitii juraverit suum Offitium de bene et fideliter exercendo secundum formam superius traditam.

DE ELECTIONE GUALDARIORUM DEBENTIUM DENUNTIARE Malefìcia et damna data
Cap. XII.

Item statuerunt et ordinaverunt quod Potestas qui pro tempore fuerit infra octo dies postquam juraverit Offitium teneatur et debeat eligi facere per Consilium Speciale unum Gualdarium, sive custodem secretum pro quolibet Breve, qui Gualdarii, sive Custodes sic electi teneantur, et debeant coram ipso Potestate denuntiare omnia et singula maleficia, et alia ad suum Offitium pertinentia, et quoscumque homines et personas, et Blasphemantes Deum et Gloriosam Virginem Mariam, aut aliquem Sanctum et Sanctam, et omnes qui jurant per corpus, sanguinem, et alia membra, vel similia juramenta facerent nec non omnes, qui non custodierint Festivitates custodiendos secundum formam Statuti superius positi de Veneratione Sanctorum intus dictum Castrum tantum. Et simili modo et forma ad requisitionem Cancellarii per dictum Speciale Consilium eligi debeant alii octo Gualdari videlicet unus pro quolibet Breve qui habeant denuntiare et referre dicto Cancellario omnia et singula damna data, quae fierent et committerentur intus dictum Castrum, et in eius Territorio et districtu per quascumque personas et Bestias nec non omnes custodientes Festivitates custodiendos extra dictum Castrum, per

Territorium et districtum eiusdem secundum formam Capituli de veneratione Sanctorum: Qui Custodes et Gualdari sint et esse debeant aetatis ad minus viginti annorum et teneantur jurare ad Sancta Dei Evangelia manu tactis Scripturis quod denuntiabunt omnes et singulos quos invenerint in maleficiis vel damnis datis delinquentes quos denuntiare teneantur, et debeant ea die vel sequenti postquam commissum fuerit maleficium et damna data infra octo dies postquam ad sui notitiam pervenerint. Ad quorum denuntiationem Potestas et Cancellarius procedere teneantur et debeant contra praedictos denuntiatos. Quorum Gualdariorum, sive Custodum nomina sint secreta: Et si fuerint negligentes infra dictum terminum in denuntiando delinquentes, solvant pro poena solidorum quinque Denariorum pro qualibet et qualibet vice: Et eorum relationibus credatur in damnis datis in omnem quantitatem. Pro maleficiis vero usque in quantitatem quadraginta Solidorum, ab inde vero supra usque ad omnem quantitem cum uno Teste de visu. Vide Lib.

DE OFFITIO, ELECTIONE, et IURAMENTO CLAVARIORUM PORTARUM CASTRIGUALDI

Cap. XIII.

Item statuerunt et ordinaverunt quod Domini Defensores qui pro tempore fuerint, teneantur et debeant singulis duobus mensibus postquam fuerint extracti, videlicet ea die qua jurabunt Offitium ad se venire facere CLAVARIOS Portarum Castri Gualdi ad se portari facere et presentare Claves Portarum praedictarum: Et illis vel aliis adia-

-centibus dictarum Portarum prout eis videbitur recepto ab eis fidelitatis debitae, et mandatorum observantiae juramento, Dum-modo dicti Clavarii sive Portinarii sic electi habeant et possideant in bonis usque in quantitatem Ducentarum Librarum Denariorum: Et quod dicti Portinarii teneantur et debeant de sero hora debita ad voluntatem Defensorum qui pro tempore fuerint claudere dictas Portas, et de nocte quacumque incum-bente causa nemini aperire sine voluntate dictorum Defensorum, ad poenam Centum Solidorum pro quolibet et qua-libet vice qua contrafecerit: Et quod nullus dictorum Clavario-rum sive Portinariorum possit, clausis Portis, ipsas aperire alicui Bannito de Castro Gualdi ad poenam Centum Librarum Denariorum ultra poenam supra statutam: Addentes quod quicumque intraverit dictum Castrum Gualdi alibi, et alio modo quam per Portam apertam sive eius Sportellum apertum pro qualibet vice qua fuerit contrafactum, puniatur poena Viginti Quin-que Librarum Denariorum de facto auferendam

Vide etiam Lib. 3. Cap. 27.

DE ELECTIONE, OFFITIO, et IURAMENTO VIARIORUM et eorum SALARIO

Cap. XIV.

Item statuerunt et ordinaverunt quod Potestas teneatur et de-beat facere eligi infra octo dies post initium sui Offitii per Consiliarios speciales Consilii in Castro Gualdi Duos bonos Homines, qui sic electi sint VIARI qui teneantur et debeant coram dicto Domino Potestate jurare, et jurent ad Sancta Dei Evangelia corporaliter tactis Scripturis eorum Offitium secundum formam presentis Capituli bene, lega

-liter, et bona fide facere et exercere hoc modo, videlicet: Quod ipsi Viarî et quilibet eorum semper cum fuerint requisiti per aliquem de Adiacentibus alicui Viae vel Stratae Communis Gualdi, sive vicinali, ad poenam Decem Solidorum pro quolibet eorum et qualibet vice, aptari facere omnes et singulas Stratas et Vias totius Territorii Gualdi per adiacentes ipsius Stratae vel Viae, expensis ipsorum Adiacentium, quibus dicta tali Via esset utilis. Qui Adiacentes et quilibet eorum teneantur et debeant Viariis obedire in omnibus quae eis praeceperint, ad poenam Quinque Solidorum pro quolibet, et vice qualibet eis de facto per Potestatem dicti Castri, sive Cancellarium auferendorum: Qui etiam Viarî teneantur et debeant ad dictam poenam Decem Solidorum pro vice qualibet, qua fuerint negligentes eis de facto pro quolibet auferendorum ad requisitionem cuiuscumque personae dicti Castri, et eius districtus, ire et terminare in terris et Viis, de quibus inter aliquos de Gualdo aliqua discordia oriretur occasione alicuius Vannaitae, et ipsas partes ad concordiam reducere: Et ad ipsos Vannaitas et terminationes vocare vicinos et Testes quos voluerint prout eis videbitur pro reperienda veritate. Quibus Viariis Testes, et convicinos quos ipsi vocaverint, seu vocari fecerint ad praedicta obedire debeant ad poenam quinque Solidorum pro quolibet, eis per Potestatem vel Cancellarium auferendam de facto. Qui Viarii in praedictis omnibus et singulis exequendis habeant plenum et liberum arbitrium et Jurisdictionem auctoritate praesentis Statuti praedictas terminationes facere. Et Potestas dicti Castri vinculo jura-

menti facere teneatur observari totum, et quiquid per ipsos Varios fuerit factum. Teneatur etiam ipse Potestas infra dictum terminum per dictum Consilium eligi facere duos bonos Homines, qui sub dicta poena teneantur ire ad extimandum damna data in bonis et possessionibus Hominum dicti Castri semper cum fuerint requisiti, quas quidem extimationes ipsi extimatores possint facere in quibuscumque diebus, et habeant quilibet eorum pro eorum Salario pro qualibet extimatione Bononenum unum, videlicet inter ambos extimatores duos Bononenos, solvendos per illos, qui fieri faciunt dictam extimationem, et postea reficiendos per illos qui damnum intulerint.

DE ELECTIONE SINDACORUM ad defendum CAUSAS COMUNIS.

Cap. XV.

Item statuerunt et ordinaverunt quod Potestas Castri Gualdi vinculo juramenti teneatur semper, quando opus esset, eligi facere in Consilio Spetiali duos bonos et sufficientes Homines in Sindacos et pro Sindacis dicti Comunis, qui defendant et defendere debeant omnes et singulas causas et lites notas, et quae in posterum movebuntur in Comuni praedicto, et Sententias, et condemnationes a quibus esset vel fuerit in posterum appellatum, et omnes et singulos Processes, et lites notas, et movendas in Comuni praedicto in Curia Gualdi, et in qualibet alia Curia quotiens opus fuerit personaliter interesse et contra quascumque personas dictum Comune Gualdi defendere juxta posse, et dictum eorum Offitium bene, et legali-

-ter, et bona fide exercere teneantur, et debeant pro eo tempore quo fuerint Sindaci teneantur, et debeant promittere et jurare dictum eorum Offitium bona fide facere, et exercere, omni fraude remota: Et si fraudem vel negligentiam commiserint, poenam incurrant eis de facto auferendam, ad libitum et arbitrium Dominorum Potestatis et Defensorum, et Consilii Spetialis.

DE ELECTIONE QUATUOR HOMINUM ad revidendum Possessiones, et Bona COMUNIS

Cap. XVI.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Potestas Comunis Gualdi teneatur, et debeat eligi facere per Consilium Spetiale infra unum Mensem post introitum sui Offitii quatuor bonos Homines, qui teneantur, et debeant reinvenire, et terminare Possessiones, et omnia alia bona Comunis et quod nulla persona laboret, nec super apprehendat de ipsis bonis et sodis, et si quis super apprehenderit, vel super apprehensum tenuerit, totum id quod super apprehenderit, demittere et relaxare teneatur, ad poenam Viginti Solidorum Denariorum sibi de facto auferendorum, et nihilominus ad restitutionem fructuum teneatur quomodocumque, et qualitercumque exinde perceperit extimandorum per extimatores Comunis: Et praedicta, et quodlibet praedictorum Potestas dicti Castri Gualdi, qui pro tempore fuerit intra duos Menses executioni mandare teneantur ad poenam Decem Librarum.

DE ELECTIONE HOSPITARIORUM HOSPITALIS COMUNIS

Cap. XVII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Defensores et Consilium Speciale quandocumque eis videbitur necessarium et opportunum teneantur, et debeant eligere duos Bonos Homines factores et Hospitalores Hospitali Communis qui habeant manutenere, conservare et augumentare res et bona dicti Hospitalis: Qui sic electi habeant potestatem et libertatem ordinandi, disponendi et ministrandi bona, oblationes, introitus et proventus omnes dicti Hospitali eo modo et forma quibus eisdem videbitur et placebit: Qui tales sic electi debeant prestare juramentum de bene et fideliter exercere eorum Offitium, remotis abeis etc.

DE POENA illorum qui NON RECEPTAVERINT OFFITIUM ad quod FUERINT assumpti.

Cap XVIII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque fuerit assumptus, electus et deputatus per Dominos Defensores et Consilium Speciale, sive per electionarios eligendi potestatem habentes ad aliquod Offitium Comunis praedicti et dictum Offitium recusaverit, solvat nomine poenae quatraginta Solidos Denariorum, de facto exigendorum per Potestatem et applicandorum .... aliquod Offitium in dicto ....

DE PROCESSIONIBUS et LUMINARIIS fiendis in Vigilia FESTIVITATIS Sanctae Mariae de Mense Augusti, SANCTI ANGELI de Mense Maii, et S. ANTONI de mense Septembris

Cap. XIX.

Item statuerunt et ordinaverunt ....

gloriosissimae Mariae semper Virginis Matris eius, statuerunt et ordinaverunt, quod quilibet de Castro Gualdi, et eius districtu teneatur, et debeat in Vigilia dictae gloriosissimae Virginis de Mense Augusti, et in Festivitatibus Sancti Angeli de Mense Maij, et Sancti Antonii de Mense Septembris se congregari et coadunari in Platea Communis, videlicet ante Palatium, et habere unam Faculam de Cera ponderis trium unciarum, et cum ipsa Facula accensa ire post Processiones per dictum Castrum, per loca consueta, una cum Domino Potestate dicti Castri, et cum Dominis Defensoribus, et Camelleriis, et cum dictis Processionibus et Faculis visitatis dictis Ecclesiis redire ad dictum Palatium, ubi de praedictis omnibus per Potestatem dicti Castri fiat publice requisitio si quis contrafecerit, et praedicta facere et observare neglexerit, incurrat poenam quinque Solidorum, de facto per Dominum Potestatem auferendarum.

DE LIBRO ORDINANDO de CREDITORIBUS COMUNIS et ipsorum SATISFATIONE

Cap. XX.

Animadvertentes diligenter ut negocia Communis recte valeant custodiri, et ne quis ipsum Commune valeat in aliquo defraudare, hac presenti Lege firmaverant, statuerant et ordinaverunt, quod in Communi praedicto fiat et fieri debeat expensis Communis per Dominos Defensores unus Liber, qui sit et esse debeat Centum Chartarum de Charta Bubecina, et vocetur "Liber Servitiorum Comunis", in quo quidem scribi debeant etiam omnes, et singuli Homines, et personae debentes aliquid recipere in Communi praedicto, exprimendo

diem, caussam, et quantitatem, qua recipere quisque tenea-
tur hoc modo et ordine, videlicet quod in principio cujuslibet
Defensoratus Scribi debeat, et intitulari in principio praedicti
Libri in hunc modum videlicet, infrascripti sunt debentes reci-
pere a Communi Gualdi infrascriptas quantitates, causis et
rationibus infrascriptis et annotatis et hoc tempore talia
Defensorum, nominando illos, qui pro tempore erunt, cum
inscriptione Millesimi et diei introitus Dominorum Defen-
sorum, et intra hunc praedictum titulum scribantur omnes
debentes recipere a praedicto Communi modo et ordine supra-
dicto, et talis modus servare et servari debeant in posterum
per Defensores, qui pro tempore erunt, donec in dicto Libro
scribi poterit. Et deinde .... et fieri debeat aliter
modo praedicto: Addentes huic Capitulo, quod iste Liber
sic ordinatus reponatur et reponi debeat ...... in Armario Co-
munis existente in Ecclesia Sancti Antoni de dicto Castro
Gualdi, et inde extrahi non possit nisi quando aliquid
praedicta occasione scribendum sit, seu tempore examinis
alicujus Datiorum, quo tempore dictus Liber .... rema-
neat apud Cancellarium Communis. Item quando fieret
aliqua excomputatio alicui debenti recipere aliquam quanti-
tatem Denariorum, vel quando fieret solutio aliqua ipsa
excomputatio sive solutio scribi debeat in margine dicti Li-
bri juxta ipsum creditorem: Et talis creditor cui fuerit
integre solutum et satisfactum cancelletur de dicto Libro,
adeo quod debitum praedictum iterum repeti non possit. In-
super voluerunt quod Domini Defensores scribi facere tenean-
tur, et debeant omnes, et singulos homines, et personas

debentes recipere a Communi praedicto illas quantitates, quas debent recipere ante exitum Offitii ipsorum: Et si fuerint negligentes in scribi faciendo tempore eorum Offitii post finitum Offitium scribere facere non possint, poena scribenti quinque solidorum de facto auferendorum, et nihilominus praefati Creditores non scripti in dicto Libro dicto tempore nullum regressum habeant contra Commune, sed tales Defensores teneantur ad dictam solutionem.

DE MODO et ORDINE
Imponendi Dativas
Cap. XXI.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Domini Defensores teneantur et debeant in principio eorum Offitii rimari facere et diligenter inquirere omnia et singula Debita, quae scripta sunt et annotata in Libro Servitiorum Communis, et qui reperirentur scripti in dicto Libro debendum aliquid in Communi praedicto recipere, habeantur et reputentur pro veris et legitimis Creditoribus dicti Communis, et non alii, et tunc dictis debitis sic repertis, praefati Domini Defensores teneantur et debeant congregari et coadunari facere Consilium Speciale secundum modum et ordinem supra scriptum de Consilio congregando, et in dicto Consilio scribi facere per Cancellarium dicti Communis omnes et singulos creditores praedictos sic in dicto Libro repertos, cum summis et quantitatibus ibidem scriptis et annotatis: Et sic lecti; ipsi Domini Defensores proponant et proponere debeantur et teneantur quid Consilio praedicto videtur et placet providere et ordinare de modo habendi pecuniam in Communi prae-

dicto pro satisfaciendis debitis sic lectis, et nominatis in dicto Consilio: Item voluerunt quod si tempore quo dicta debita essent satisfacienda non esset pecunia in Communi praedicto imponi debeat Dativa per Libram in quantitate sufficienti pro satisfactione condigna dicti Debiti, secundum consuetudinem hactenus observatam.

DE MODO et ORDINE ESIGENDI DATIVAS
Cap. XXII

Item statuerunt et ordinaverunt quod omnes et singuli homines, et personae tam Terrigenae quam Forenses cuiuscumque conditionis existant reperti accatastati in Catasto Communis Qualdi solvant, et solvere teneantur, et debeant omnes, et singulas Dativas et prestantias tam impositas, quam imponendas per dictum Commune quomodocumque et qualitercumque imponerentur, infra terminum statuendum.........
dummodo non excedat, vel praetereat spatium duorum mensium: si ab inde vero in antea quilibet, qui solvere neglexerit Dativam tangentem sibi per Libram sui Catasti sibi impositam, dicto statuendo termino elapso, solvat et solvere teneatur, et debeat ipsam Dativam sibi impositam cum quarto pluris: Et Potestas, qui executionem fecerit, et dictam Dativam solvi, Duodecim Denarios pro qualibet Libra summae dictae Dativae sic exactae, pro executione recipere teneatur, et non plus: Et Potestas possit, et valeat contra praedictos solvere recusantes executionem facere in persona et personis prout sicut, quomodo et qualiter eidem Potestati videbitur convenire, cum detentione carcerationi et modis omnibus necessariis et opportunis. Et Potestas

tempore quo Dativa fuerit imposita teneatur, et debeat per Bajulum Communis tamuri facere, et quilibet accatastatus in Castro Communis Gualdi debeat infra terminum Statutum per Dominos Defensores solvere ad poenam quartae partis.

DE MODO, et ORDINE imponendi PRESTANTIAS

Cap. XXIII.

Item Statuerunt et ordinaverunt quod Domini Defensores qui pro tempore fuerint una cum Consilio Speciali possint teneantur et debeant quoties opus fuerit imponere omnes et singulas Prestantias oportunas Communi praedicto illis hominibus et personis de Castro Gualdi, quos eis videbitur in ea quantita ette habiles ad mutuandum dicto Communi: Et quod illi, quibus Prestantia imposita esset, ad requisitionem Rectoris dicti Castri solvere teneantur et compellantur modis omnibus, quibus dicto Potestati videbitur.

QUOD LABORATORES COGANTUR SOLVERE DATIVAS

Cap. XXIV.

Item quia non licet cuique non portanti onera Communis gaudere propriis possessionibus: Idcirco Statuerunt et ordinaverunt, quod omnes et singuli de Castro Gualdi praedicti vel forenses incolae dicti Castri, qui laborant seu in futurum laborabant aliquas possessiones in Territorio Gualdi alicujus non solventis Dativas in Communi praedicto et alia onera....... corporalia et personalia non praestantis, Laboratores dictarum Terrarum seu possessionum de fructibus perceptis, seu percipiendis ex eisdem possessionibus........

..........., videlicet de parte tangenti Domino dictae possessionis quos fructus Dominus dictae possessionis recipere non possit: Et si fructus praedicti .... pro satisfactione dictarum Dativarum sic impositarum, vel imponendarum secundum formam quam capit Libra dictae possessionis quam laboraverint, ipsi Laboratores de suo proprio supplere et satisfacere teneantur et debeant usque satisfactionem condignam dictarum Dativarum, ac si sua propria talis possessio esset et Potestas, qui pro tempore fuerit teneatur, et debeat praedicta omnia et singula in praesenti Capitulo contenta attendere et observari facere et omnes et singulas Dativas tempore sui Offitii, et quae fuissent impositae sui in Offitio praedecessoris exigere teneatur, ad poenam Decem Librarum de suo salario retinendorum.

QUOD FORENSES VOLENTES HABITARE in CASTRO GUALDI, vel DISTRICTU SINT ESENTI PRO UNO ANNO.

Cap. XXV.

Item ad liciendum Forensium animos, qui desiderant ad Castrum Gualdi, vel eius districtum venire et habitare, etiam eis materia tribuatur libentius habitandi in Castro et districtu eiusdem: Statuerunt et ordinaverunt quod omnes et singuli Forenses habitare volentes in Castro Gualdi vel districtu eius debeant se presentare coram Dominis Defensoribus et in Libro Reformationum Communis praedicti se scribi facere et jurare quod deinceps in futurum perpetuo in dicto Castro, vel eius districtu continue habitabunt, et praedicti tales Forenses, qui praedicta servaverint, sint et esse debeant

immunes, exempti ab omnibus et singulis oneribus, et factionibus personalibus pro uno anno proximae sequturae inchoando a die qua se scribi fuerit, et ut sequitur finiendo: Et si tales Forenses fuerint negligentes in se scribi faciendo, teneantur et debeant toto tempore, quo fuerint in mora pro custodia quam non fecerint solvere qualibet mense Camerario dicti Communis Solidos quinque Denariorum, et nihilominus finito tempore dicti Anni, vel quod se scribi, vel non, teneantur, et debeant custodiam, et alias factiones reales et personales in dicto Communi facere sicut alii de dicto Castro Gualdi faciunt, et eius districtu: Et ii tales, qui se juraverint et promiserint habeantur et reputentur pro veris et naturalibus Castellanis, et in omnibus et per omnia pertractentur et pertractari debeant ut tali oriundi de Castro praedicto. Addentes huic Capitulo, quod Forenses habentes Domum aliquam in dicto Castro, quam ipsi non habitarent teneantur qualibet Anno solvere Camerario Communis pro qualibet Domo quam non habitaverint Solidos Decem Denariorum: Excepto quod praedicti omnes non possint, nec debeant gaudere aliquo Offitio et honore dicti Communis Gualdi per tempus Viginti Quinque Annorum a die inscriptionis praedictae incipiendorum, et ut sequitur finiendum.

DE POSSESSIONIBUS non TRANSFERENDIS per ALIQUEM non SUBIECTU JURISDICTIONI CASTRI GUALDI.

Cap. XXVI.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nulla persona audeat vel presumat donare, vendere, concedere, vel alio quocumque

titulo, vel coloro quæsito alienare, obligare, vel permutare aliquam terram, seu possessionem accatastatam, vel scriptam in Catasto Communis Gualdi, alicui cuiuscumque conditionis existat non subiecto Jurisdictioni dicti Castri, vel qui non substineret omnia et singula onera realia et personalia in dicto Castro, et qui contrafecerit puniatur in Viginti Quinque Libris Denariorum ixe qualibet, et nihilominus talis venditor, donator, seu alienator, et etiam Laborator dictarum possessionum, ipsa donatione, venditione seu alienatione non obstante etiam Dativas et Collectas pro dictis possessionibus et bonis solvere penitus compellatur, et talis donatio, venditio, seu alienatio quovis modo facta in personam non subjectam jurisdictioni dicti Communis ut praefertur, non valeat, nec teneat, sed ipso jure sit nulla, et nullam obtineat roboris firmitatem: Salvo et reservato si talis cui dicta donatio, vel concessio facta fuerit, dederit Fidejussores idoneos et sufficientes de solvendo omnes et singulas Dativas et Praestantias imponendas in Communi Gualdi praedicti, et de faciendo et substinendo omnes alias factiones reales et personales, prout, et sicut alii de dicto Castro Gualdi facient et substinebunt, in quo casu dicta venditio, concessio, seu donatio, vel alienatio, ut supra facta, teneat et valeat ac si facta fuisset alicui alteri subjecto jurisdictioni dicti Communis, et nihilominus talis possessio sic alienata, vel alio quocumque modo concessa remaneat in Catasto talis concedentis et subjecti et de ipso Catasto elevari quocumque modo non possit: Si quis vero non subjectus jurisdictioni praedictae succederet in bonis alicujus subjecti praefatae jurisdictioni ab intestato, similiter teneatur et debeat praestare

idoneos Fidejussores de solvendo Dativas, et prestantias quaecumque imponendas in dicto Communi, et alia substinere onera, et obsequia realia et personalia, quae substinebunt et portabunt alii dicto Communi subjecti, et hoc Capitulum sit precisum, et locum habeat ad praeterita, presentia et futura: Statuentes etiam ne confraudetur in Dativis et Collectis impositis et imponendis, quod omnia predia, possessiones et bona sita in Castro Gualdi et eius districtu sint tributaria et onera tributi affecta, et cum oneri solvendi Dativas et Collectas transeant, et onus Dativarum et Collectorum quomodocumque imponatur, intelligatur onus tributarium et ordinarium, ad quod omnis possessio teneatur.

DE POENA VENDENTIS seu quocumque modo CONCEDENTIS ALIQUI FORENSI DOMUM JUXTA MURUM

Cap. XXVII.

Item ad abolendam omnem suspitionem de meritibus hominum Castri Gualdi, et securius vivant, et persistere valeant sub fidelitate et devotione Sanctae Matris Ecclesiae, et Summorum Pontificum canonice intrantium, statuerunt et ordinaverunt, et hac presenti Lege firmarunt quod nulla persona habens Domum vel Casalenum intus vel juxta Murum Communis Castri Gualdi audeat vel presumat aliquo quesito colore, vel causa ipsam Domum, vel Casalenum alicui Forensi non subjecto Jurisdictioni dicti Castri locare, ad poenam Viginti Quinque Librarum Denariorum, in qua Potestas talem locationem debeat condennare: Quicumque autem Forensis non subjectus Jurisdictioni praedictae Domum aliquam juxta dictos Muros jure relicti, donationis, vel venditionis haberet

non possit ipsam habitare, et si habitaret facta sibi prohibitione per Potestatem, puniatur in Decem Libris Denariorum: Et nihilominus talis venditio, locatio aut concessio, vel alienatio sit ipso jure nulla, et nullius efficaciae vel momenti.

QUOD POTESTAS POSSIT IMPONERE POENAM DECEM SOLIDORUM ex suo OFFITIO et ARBITRIO

Cap. XXVIII.

Item ad hoc ut materia tribuatur bene vivendi, et quod metu poena quisquis Offitialibus, qui pro tempore erunt in Castro Giraldi libentius circa concurrentia ipsorum Offitio prestent debitam obedientiam, et ipsum offitium valeant commodius exercere, statuerunt et ordinaverunt, quod Potestas dicti Castri pro ipso exercendo Offitio possit et valeat quandocumque et quotiescumque sibi placebit et videbitur convenire, imponere poenam inobedienti usque in quantitatem Decem Solidorum ultra et praeter poenam statutam in Capitulo presentis Voluminis loquente de materia quae pena imponi, exigi et tolli possit per ipsum Dominum Potestatem de facto totiens quotiens quis fuerit inobediens, vel per condemnationem sibi videbitur.

DE ELECTIONE AMBASIATORUM et ipsorum SALARIO

Cap. XXIX.

Item quia justum censetur et consonum equitati et ut nostrae reipublicae utiliter provideatur, hac presenti lege statuerunt et ordinaverunt, quod in Speciali et Ordinario Consilio dicti Comunis eligi debeant et nominari duo boni homines, habito

respectu ad sufficientiam ipsorum, et amorem et fidelitatem erga nostram rempublicam, qui pro rebus arduis et maximae importantiae deffinientur Oratores dicti Comunis quandocumque opus fuerit, et videbitur oportunum pro negociis dicti Comunis. In rebus autem levioribus duo Oratores ut supra, et unus si videbitur expedire pro utilitate dicti Comunis, et plures si videbitur oportunum eligantur per Dominos Defensores pro tempore existentes qui valeant et possint ac si electi et nominati fuissent in dicto Spetiali Consilio: Qui Oratores si ivent per Quinque Milliaria et infra distantiá a dicto Castro habeant pro eorum salario, videlicet pro quolibet ipsorum et qualibet die non pernoctando extra dictum Castrum sive eius Territorium Bononenos tres, si pernoctaverint extra dictum Castrum Bononenos sex pro quolibet Oratore. Et si ivent per Octo Milliaria et infra distantiá a dicto Castro habeant pro quolibet ipsorum et qualibet die Bononenos quatuor si non pernoctaverint extra, ut supra dictum fuit, si pernoctaverint Bononenos sex: Et si ivent per Decem vel Quindecim Milliaria, et non ultra distantiá a dicto Castro habeant pro quolibet et qualibet die Bononenos Octo et si pernoctaverint extra, ut supra dictum est: Et si ultra dicta Quindecim Milliaria distantiá a dicto Castro ivent habeant pro quolibet et qualibet die ultra dictos Octo Bononenos prout discretioni videbitur Defensorum pro tempore existentium.

DE FORMA LITERARUM CREDENTIALIUM

Cap. XXX.

Item quia saepe quam plurimum sub umbra et favore sui Comunis propria negotia pertractare nituntur, cupientes ipsorum malitiam reprimere, statuerunt et ordinaverunt quod qualibet Litera Credentialis, quae in persona alicujus, vel aliquorum Ambasiatorum fieret, debeat summarie continere substantia ambaxiatae sibi commissae per Comune praedictum: Volunt insuper quod Ambaxiatores electi, ut supra, in precedenti Capitulo continetur ante quam ad dictam Ambaxiatam faciendam se conferant, jurent in manibus Dominorum Defensorum ambaxiatam sibi commissam bene et legaliter et bona fide facere et exercere pro Comuni praedicto et nullam aliam pro factis propriis vel alienis facere vel exponere praeter commissam sibi a Comuni praedicto et qui contrafecerit solvat nomine poenae in Comuni praedicto Viginti quinque Libras Denariorum, in quam per Potestatem debeat condennari.

QUOD BONA CUMUNIS CONCEDI vel ALIENARI NON POSSINT.

Cap. XXXI.

Item quia nonnulli consueverunt sub bene vivendi velamine bona Comunis inutiliter consumere, et pro se alienis sumptibus benivolentiam captare: Cupientes itaque fraudibus hujusmodi et iniquis callidítatibus obviare, presenti lege statuerunt et ordinaverunt, quod nulla donatio, remissio concessio seu obligatio fiat nec fieri possit, vel valeat de bonis Comunis qualibet a Centum Solidis Denariorum supra, absque deliberatione Consilii Specialis, et Decem aliorum Bonorum Hominum de dicto

quos Defensores pro tempore existentes voluerint convocare, inter quos concessio talis, seu obligatio debeat per tres partes ipsorum Consiliariorum convocatorum ad Bussulas et Palluctas............ et si aliter fieret donatio ipsa, vel concessio, seu alienatio non valeat, nec teneat ipso jure: Et si quis contra dictam formam exposuerit, consuluerit, et............ reformaverit, incidat in poenam Quinque Librarum Denariorum pro quolibet et vice qualibet.

QUOD PARTITA MITTANTUR ad BUSSULAS et PALLUCTAS

Cap. XXXII.

Item statuerunt et ordinaverunt quod omnia et singula Partita quae fient in Consiliis dividi mittantur ad Bussulas et Palluctas, seu Fabas dicendo quod quicumque vult dictum talis, exprimendo nomen illius, qui consuluit mittat Palluctam, seu Fabam in Bussulam Albeam del Sic, et quicumque vult contrarium mittat Palluctam, seu Fabam in Bussulam Surbeam del non, et quilibet mittat ambas manus clausas in ambobus Bussulis, videlicet in qualibet unam manum, ita quod nemo possit perpendere in qua Bussula Palluctam, sive Fabam miserit: Et praedicta Potestas faciat observari, et si quis Consiliarius contrafecerit solvat statim Duodecim Denarios: Et quod omnia et singula ordinamenta et reformationes quae fierent in Consilio dicti Castri obtineantur per duas partes Consiliariorum tunc presentium. Salvo quod ubi trattaretur de aliqua donatione, concessione, vel remissione facienda de bonis Comunis, quo casu obtineatur per tres partes Consiliariorum tunc presentium. Et si aliter fieret reformatio non valeat, et sit ipso

pure nulla. Et quod in omni Consilio possint arrengare usque ad Quatuor Consiliarios et non plures ad poenam quinque Solidorum.

DE HABENTIBUS CASALENUM CONTIGUUM MURO COMUNIS

Cap. XXXIII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque habet Casalenum in Castro Gualdi juxta Murum Comunis in quo muro non essent Merli et Parapecti, teneantur et debeant merlari facere super ipso muro infra terminum per Consilium ordinandum suis sumptibus et expensis, ad poenam Viginti Quinque Librarum Denariorum pro quolibet contrafaciente et qualibet vice et nihilominus dictus talis teneatur et cogatur per Potestatem ad faciendum praedicta, et Potestas qui pro tempore fuerit infra unum mensem sui regiminis teneatur ire ad videndum circum circa Murum ipsius Castri et ubi invenerit non esse merlatum et Parapectatum dictum Murum faciat merlari, ad poenam decem Librarum Denariorum de suo Salario, dummodo pro dicto tempore detur Cerina et Calx per Commune praedictum: Et dictum Capitulum locum habeat in presentis, presentibus et futuris.

DE ESTIMATIONE et ACCATASTATIONE TERRARUM quae non essent ACCATASTATAE

Cap. XXXIV.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque habet possessionem seu terram in districtu Gualdi, ipsam debeat assignari Catasteriis Comunis pro tempore existentibus infra unum mensem a die introitus eorum Offitii computandum, et quicumque non assignaverit, solvat nomine

poenae Viginti Solidos Denariorum: Et nihilominus solvere teneatur, et debeat ac refiere in Comuni praedicto om-nes Dativas non Solutas de dicta petia Terrae non as-signatae et accatastatae in Castro praedicto pro eo tempore quo fuerit in mora assignandi possessiones praedictas, quas cogatur ponere in Suo Catasto: qui Catasterii Sint duo Boni Homines, et eligantur in Consilio Spetiali quorum Offitium duret per annum, et ipsi Catasteri teneantur videre et corrigere debeant errores Catasti, et poni faciant per Cancellarium dicti Communis et scribi terras venditas Emptoribus, et elevari faciant Venditoribus. Et Cancellarius pro eius labore et mercede habeat a qua-libet parte, et pro qualibet petia Terrae sex Denarios: Qui Cancellarius non possit dictas petias Terrae po-nere et elevare nisi presentibus et Consentientibus Defenso-ribus et Catastarés dicti Communis in Consilio Spetiali electis ut Supra et ipsis presentibus. Item voluerunt quod praedicti Catasteri electi ut Supra, habeant et habere debeant pro eorum Salario et labore ab illis in quorum Catastis fuerint errores reperti, pro qualibet Libra Cata-sti quam in Comuni defraudaverint ultra praedictas poenas Solidos quinque Denariorum: Insuper ad-dunt presenti Capitulo, quod si qui Homines et personae de Castro Gualdi et eius districtu habentes aliquas pos-sessiones comunes, seu petias Terrarum, vel aliquam heredi-tatem, debeant, et teneantur infra duos menses continuos postquam dictae possessiones ad ipsorum manus pervene-rint, ipsas possessiones, et petias Terrarum, vel Hereditatem

debeant et teneantur infra duos Menses continuos postquam dictae possessiones ad ipsorum manus pervenerint, ipsas possessiones, et petias terrarum, vel Hereditatem dividere, et sortiri, et quilibet ponere, et poni facere pro parte sibi tangente in suo Catasto ad poenam praedictam, ita quod nullus de Gualdo, vel eius districtu habeat nec habere possit nisi proprium Catastum et in proprio Catasto solvere et non in alieno exceptis duntaxat Fratribus carnalibus, qui ad praedicta minime teneantur, nec intelligantur Dum vixerint in communi, et ipsorum fuerint inter ipsos comunia: Sed eo ipso quod Fratres praedicti venirent ad divisionem teneantur et debeant ad eamdem poenam infra dictum terminum duorum Mensium possessiones quas simul et comunes habuerint, dividere et dividi quilibet ipsorum poni facere, et scribi per Cancellarium dicti Comunis et facere novum Catastum si non haberent.

DE NON FACIENDO ANSENIA ABSQUE DELIBERATIONE SPETIALIS CONSILII. Cap. XXXV.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque fuerit aliquod Anxenium alicui persoriae ex parte Comunis, de quo non esset deliberatum per Defensores et Consilium Spetiale dicti Comunis tale Anxenium de suo proprio illud Anxenium solvere teneatur.

De Modo CONSERVANDI VEXILLUM, PRIVILEGIA et QUAECUMQUE COMUNIS GUALDI. Cap. XXXVI.

Item ut iura Comunis, privilegia, immunitates ipsius Comu-

nis melius et salubrius debeant conservari, statuerunt et ordinaverunt, quod Vexillum seu Banderia, ac privilegia, immunitates, et jura quaecumque dicti Communis conserventur et custodiantur in Cassetta fabricanda expensis Communis, et dicta Cassetta cum Banderia, Vexillo, privilegiis, immunitatibus et juribus reponatur et custodiatur in Armario existente in Ecclesia Sancti Antonii de Gualdo praedicto, et supra clauso duobus clavibus quarum una sit penes unum Defensorem, et alia penes alium Defensorem, et de dictis privilegiis, juribus et Vexillo fiat Inventarium et reponatur in dicto Armario adeo quod fuerit opus perquiri pro aliquo privilegio vel instrumento Communis, visto dicto Inventario facilius reperiatur, et ad auferendam materiam ne quis tempore quo aperiretur dictum Armarium substrhat vel auferat aliquid.

DE IMMUNITATE ARTEFICUM FORENSIUM

Cap. XXXVII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque Artifex Forensis cujuscumque conditionis existat, venerit ad exercendum aliquam Artem in Castro Gualdi, vel eius districtu qui sit bonae conditionis et famae ab omnibus et singulis oneribus personalibus sit exemptus per totum primum Annum, computandum a die qua venerit ad habitandum in dicto Castro.

QUOD NULLUS NON ALLIBRATUS in CATASTO COMUNIS GUALDI a XL LIBRIS supra POSSIT HABERE ALIQUOD OFFITIUM in COMUNI.

Cap. XXXVIII.

Item Statuerunt et ordinaverunt quod nullus de Gualdo vel eius districtu, qui non sit allibratus in Catasto Comunis in quatraginta Libris vel abinde super, habere possit, nec exercere Offitium Defensoratus, Camerariatus, et Sindacatus Comunis, nec ad aliquod dictorum Offitiorum eligi vel deputari, et si eligeretur talis electio non teneat, nec valeat ullo modo, et qui contra dictam formam acceptaverit, puniatur in Decem Libris Denariorum et eadem poena qui ipsum elegerit puniatur.

DE NON PREPONENDO de SUSPENSIONE aliquorum STATUTORUM, et de non ACCEPTANDO OFFICIUM PRAETER FORMAM STATUTORUM.

Cap. XXXIX.

Item Statuerunt et ordinaverunt quod Potestas qui pro tempore fuerit et Domini Defensores supra positi nullo modo possint, vel debeant aliqua ratione causa vel quesito colore proponere in aliquo Consilio Generali vel Spetiali de Suspensione seu mitigatione alicuius Capituli constituti cuiuscumque conditionis vel materiae existat. Et quod nullus Offitialis Comunis Gualdi possit eligi ad aliquod Offitium dicti Comunis, nisi secundum formam Statuti loquentis de electione Officialium, et si aliter eligeretur talis electio non valeat, et talis electus contra dictam formam, non possit Offitium aliquod optari et alius loco sui eligatur, et occasione talis electionis nullum jus sibi acquiratur contro Comune. Et si

Potestas et Domini Defensores contra praedicta proponerent vel proponi permetterent in aliquo Consilio de Suspensione alicujus Capituli constituti, Solvat quilibet eorum nomine poenae Centum Solidos Denariorum: Et quicumque arrengaverit de aliqua Suspensione fienda, ad dictam poenam similiter teneatur, et hoc Capitulum sit praecisum et mutari non possit.

DE POENA DEFENSORUM NON FACIENTIUM DARI DEPOSITUM AB ILLIS QUI EMERINT ALIQUID DE BONIS COMUNIS TEMPORE IPSORUM OFFITII.

Cap. XL.

Item Statuerunt et ordinaverunt quod quicumque de dicto Castro vel eius districtu, sive habitator eiusdem emerit aliquid de bonis Comunis in perpetuum vel ad tempus videlicet Pedagium, Macellum, vel aliquid aliud ad fictum vel ad coptimum, vel quocumque alio titulo eidem datum, locatum vel transiestatum fuerit, teneatur et debeat dictis de causis, vel aliis quibuscumque, donec dicto Comuni, vel eius nomine Defensoribus pro tempore existentibus, idoneum Depositarium de Solvendo cum effectu omne id et totum, ad quod tenetur secundum conventionem inter ipsum et dictum Comune factam. Qui Depositarius ad minus accatastatus sit in Catasto Comunis in Quinquaginta Libris, ad poenam Decem Librarum Denariorum de facto Solvendorum Camerario dicti Comunis. Et nihilominus dicta venditio, vel locatio valeat et teneat. Et Defensores pro tempore existentes si in praedictis omnibus observandis fuerint negligentes totum ipsorum amittant Salarium.

LIBER

SECUNDUS

INCIPIT SECUNDUS LIBER CAUSARUM CIVILIUM

DE CITATIONIBUS FIENDIS IN CIVILIBUS CAUSIS

Cap. I.

Praefati Statutari pro evidenti et generali utilitate hominum et personarum Castri Gualdi praedicti statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque vult conqueri de aliquo, sive aliquibus aliqua occasione, vel causa, debeat coram Potestate dicti Castri comparere, et illum, sive illos de quo vel quibus conqueri voluerit, citari facere per Bajulum Comunis dicti Castri, qui Bajulus publice citare debeat, et possit quamcumque personam cum commissione sibi facta per Potestatem, de qua appareat manu ipsius Potestatis in judicio vel extra sedentis pro tribunali et non sedentis: Et quod talis citandus debeat citari de sero praecedenti, pro mane sequenti, et de mane pro sero, prout voluerit ille ad cuius petitionem fit citatio et hoc locum habeat in illis personis quae nominatim citarentur. Citatio vero Heredum fiat hoc....... quod Bajulus vadat ad Domum habitationis olim illius, cujus heredes citari debent, et ibidem publice et palam citet omnes heredes et volentes esse heredes vel volentes pro heredibus respondere ad petitionem talis, nominando illum ad cujus petitionem fit citatio, quod inde ad tertiam diem proxime venturam coram Potestate debeat corrigere ad respondendum sibi de jure, vel ad illum actum, ad quem actor voluit, et sufficiat una citatio facta in personam citati: Si vero ad Domum fieret citatio debeat ad Domum secunda vice, et peremptorie citari, quae secunda citatio fiat, et fieri debeat expensis

QUOMODO FIERI DEBEAT CITATIO DE HEREDIBUS

citati: Heredes vero si in prima citatione fuerint contumaces, citentur iterato pro sequenti die eorum expensis quae secunda citatio fiat ad domum publice, et coram Potestate ipsorum relatio publice ad Bancum juris, et dictae duo citationes dicto modo factae sufficiant citari, et ad pronunciationem procedi possit contra reum, vel eos secundum formam infrascripti Capituli, tanquam si essent heredes, et hereditatem adivissent eius defuncti, et pro eius debito citentur et hoc quanto ad processum heredum, inde super bonis defuncti per hoc tamen ipsi citati tanquam in heredes non possint condemnari personaliter ad debitum solvendum, nisi primo eis fuerit assignatus terminus certus ad libitum Potestatis assignandus infra quem debeant declarare respondere aut velint adire, vel repudiare hereditatem, et si fuerint contumaces in respondendo, intelligatur ipsam repudiasse, vel adivisse prout videbitur et interit eius ad cujus petitionem citatio, et terminus supradictus fuit assignatus quae citationes et relationes scribantur et scribi debeant et omnia dicta civilia, quae fierint in Comuni coram Potestate, seu per Potestatem ad petitionem cujuscumque, ad quem quomodo libet pertineret quorum Bajulorum relationibus stetur, et credatur prout per Potestatem Comunis praedicti scriptura apparebit.

CITATI TANQUAM HEREDES NON POSSUNT COMDEMNARI PERSONALITER AD DEBITUM SOLVENDUM.

DE MODO PROCEDENDI CONTRA CONFITENTEM.

Cap. II.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si citatus in termino citeriori comparuerit, et coram Potestate dicti Comunis se confessus fuerit suo Creditori se debere, quod sibi teneri in

aliqua quantitate pecuniae vel ...... in judicio, Potestas ...... facta fuerit ...... et recipere teneatur ......

......

......

......

...... Si vero debitum fuerit a Viginti Solidis Denariorum supra de quacumque quantitate atti-quetur terminus, et praecipiatur per Potestatem debitori, quod illud solvat suo creditori infra decem dies continuos immediate sequentes, ab inde in antea cogatur debitor ad voluntatem creditoris, et contra debitorem tale praeceptum executioni mandetur realiter et personaliter, dummodo creditor in contestatione solvat in cippum Communis sex Denarios pro Libra quantitatis praedictae petitae, seu extimationis pecuniae, seu rei quam peteret, et de qua in praecepto mentio fieret, tempore executionis praecepti solvat, et solvere teneatur, et debeat creditor in contestatione litis, ut supra, ante executionem praecepti sex Denarios per Libram totius quantitatis pecuniae seu extimationis rei, de qua in praecepto fit mentio de quo fiat mentio in actis Curiae dicti Communis per Potestatem, et aliter praeceptum sit ipso jure nullum, et ex eo nulla executio fieri possit: In executione cujus praecepti Potestas ad voluntatem et petitionem creditoris personaliter detineri faciat debi-

ESECUTIO FIERI DEBEAT IN CONFESSIS PER JUDICEM AD VOLUNTATEM CREDITORIS CONTRA DEBITOREM.

DE CUSTODIA CARCERATIS PRO DEBITO CIVILI.

torem pro quantitate contenta in praecepto, et pro expensis legitimis, quem debitorem Potestas ad petitionem creditoris, si debitor fuerit suspectus mitti faciat in carceribus dicti Communis et debeat Potestas pro quolibet detento in carceribus habere pro custodia quolibet die duodecim solidos usque ad decem dies, ab inde vero in antea si ultra steterit sex solidos pro quolibet dies, et nocte ab ipso debitore habeat, donec in dictis carceribus fuerit detentus, et intelligatur esse suspectus ille, qui non possideret bona immobilia sufficientia ad satisfactionem debiti petiti contra eum. Si vero debitor non esset suspectus detineatur in Palatio Communis residentiae Potestatis de quo exire non possit, nec debeat sine licentia sui creditoris vel Potestatis dicti Castri ad poenam arbitrij dicti Domini Potestatis pro quolibet detento, et vice qualibet de facto auferendam, nisi primo satisfecerit suo creditori, et eadem poena puniatur pro qualibet die, qua fuerit in moram.... .... ad destrictam postquam fuerit citatus ad petitionem creditoris ex parte Potestatis per Bajulum dicti Communis. Si vero creditor post......... praecepti voluerit fieri tenutam de bonis sui debitoris solvere primo........, ut supra dictum est, Potestas dicti Castri teneatur, et debeat ad petitionem creditoris dari facere et assignari......... dicto tali creditori de bonis sui debitoris pro quantitate debiti, et pro expensis legitimis, primo mobilium in

duplo quantitatis petitae, secundo Stabelium in triplo, tertio nominum debitorum in quantuplo quantitatis petitae, quae executio fieri possit quolibet tempore absque aliqua citatione de novo facienda de tali quantitate ad petitionem creditoris...... debitis confessis....... dictis praeceptis factis in confessis........ possit ex aliqua causa appellare nec arrevocare ad aliquem Superiorem: Valeat tamen, et teneat contra appellationis, quando in confessione fuerit erratum per confessionem: Et tunc ipse Potestas, et probato quod ipse talis confessus erraverit debeat dictum praeceptum revocare, et de causa principali cognoscere aliquo modo non........

DE MODO PROCEDENDI IN CAUSAS

QUANDO REUS PETIERIT LIBELLUM OFFERRI, et DE

ESPEDITIONE, et TERMINATIONE CAUSARUM CIVILIUM

Cap. III.

Item Statuerunt et ordinaverunt quod si citatus in termino citationis de eo factae ad petitionem actoris comparuerit coram Potestate dicti Castri, et petierit sibi Libellum offerri Potestas non possit contra talem citatum procedere ad aliquem actum nisi primo per actorem fuerit sibi oblatus Libellus, quo Libello oblato assignetur, et detur Copia Libelli reo per actorem, quo Libello habito expensis actoris, per Potestatem assignetur, et assignari debeat reo terminus quinque dierum tunc proxime futurorum ad respondendum dicto Libello, quo termino elapso si non fuerint oppositae exceptiones pro parte rei, quae impediant litis contestationem super ipso Libello, et juretur de calumnia per utramque partem, nisi de voluntate partium tale

Juramentum remitteretur, et assignetur terminus utrique parti ad probandum de eorum juribus in dicta causa decem dierum, et in causa procedatur ad examinationem Testium, publicationem Processus, et Sententiam, et ad singulos actus secundum formam juris dummodo in civilibus causis terminentur, et terminari debeant infra quadraginta dies continuos a die contestationis litis computandos, nisi steterit per partes salvo quod tempore protestationis litis solvantur sex Danarii per Libram ab actore tantum, dummodo praedicta in presenti Capitulo contenta locum habeant in causis excedentibus Decem Libras, vel extimationis rei, quo excedat dictam quantitatem, alias dictus ordo observari non debeat.

DE MODO PROCEDENDI CONTRA NEGANTES DEBITUM PETITUM IN TOTUM VEL IN PARTEM &c —

Cap. IV.

Item statuerunt et ordinaverunt quod si reus in termino citationis de eo factae comparuerit coram Potestate, et debitum sibi ab actore petitum in totum, vel in partem negaverit, Potestas statuat creditori terminum Quinque Dierum tunc proxime sequendorum ad probandum et liquidandum debitum per eum petitum, et sibi negatum per reum, quo termino elapso si creditor non probaverit reus absolvatur......, si vero actor probaverit infra dictum terminum sibi prefixum, Potestas sibi praecipiat ut........ quantitatem sibi petitam secundum modum et ordinem superius traditum in Capitulo de modo.............

DE MODO PROCEDENDI CONTRA CONTUMACEM et MISSIONIS in TENUTAM

Cap. V.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si citatus vel citatos ad petitionem alicujus .... in termino citationis de eo vel eis factae per Bajulum dicti Comunis secundum formam primi Capituli suprascripti de citationibus in Civilibus non comparuerit, et contumax fuerit, si actor ad cujus instantiam reus citatus fuerit comparuerit in termino dictae citationis coram Potestate, et dicti rei citati contumaciam incusaverit, procedatur, et procedi debeat contra eum vel eam ad pronunciationem facta fide tamen prius de debito legitime coram Potestate, non obstante contumaciam dicti debitoris, et non obstante lite contestata, et contra eum Potestas ad petitionem actoris post habitam, et .... contumaciam, possit interloquendo pronuntiare in contumaciam rei, et contra eam in omni eo, et in omni quantitate pecuniae quod, et quam actor contra reum repetere voluerit, dummodo ante pronuntiationem actor mittat in Cipsum Comunis sex Danarios pro qualibet Libra quantitatis pecuniae, vel extimationis rei quam peteret, quo Salario soluto, si creditor voluerit suum debitorem facere detinere personaliter, facta pronuntiatione citetur debitor pro sequenti die ad districtam, et si comparuerit, detineatur in Palatio Comunis secundum formam suprascripti Capituli, et inde non possit recedere sine licentia sui creditoris, seu Potestatis dicti Castri, et si non comparuerit, vel sine licentia discesserit puniatur pro qualibet die, qua fuerit in mora solvendi in Decem

Solidis Denariorum: Si vero creditor post pronuntiationem voluerit tenutam de bonis sui debitoris pro quantitate contenta in pronuntiatione, et pro expensis legitimis, dicta tenuta actori concedatur quam tenutam Bajulus assignare et dare debeat creditori liberam et expeditam. Et si tenuta fuerit de re mobili in duplum assignetur quantitati petitae. Si vero de re imobili in triplo: Si vero fuerit de nominibus debitorum, ut superius dictum est in alio Capitulo: quae etiam tenuta in bonis, de re mobili detineatur, et detineri debeat per creditorem octo diebus: Et si fuerit de re immobili, vel nominibus debitorum detineatur Quindecim diebus, quibus terminis elapsis per Bajulum dicti Comunis,.......... juris coram Potestate banniatur tribus vicibus, et qualibet vice assignetur terminus, et in quolibet bannimento................ quod quicumque velit emere talem tenutam, vel aliquid dicere, vel aut apponere, quare vendi non debeat, vel in solutum dari tali creditori, compareat.............., et si quis infra terminum comparuerit, qui tenutam emere voluerit plus offerenti conveniatur: Et si nullus comparuerit elapsis dictis terminis, examinetur, et examinari debeat per quatuor extimatores proximiores..

.... fiat, et fieri debeat presente debitore, vel saltem citato, et utatis per Bajulum Comunis extimatoribus Suprascriptis, qua extimatione facta procedatur ad petitionem creditoris ad adjudicationem, et in solutum dationem, sive concessionem tenutae: Quam tenutam si fuerit de re mobili debitor recuperare possit infra

duos Menses a die adjudicationis computandos: Et si fuerit de re immobili infra quatuor Menses a die judicationis et in solutum dationis computandos pro duobus partibus eius quae talis tenuta fuerit extimata, et concedi debeat in solutum creditori, quam tenutam ex inde creditor possit habere, tenere et possidere, et de ea fructus percipere, qui fructus a die quo tenutam habuerit creditor sint ipsius creditoris, et non computentur in sorte liceat tamen debitori tenutam facere renuntiari infra decem dies, postquam tenuta data fuerit, ex primo Decreto, refectis actori, sive creditori expensis legitimis, et praestito fidejussore de judicio sisti, et judicato solvendo: Et similiter si reus citatus ad destrictam ob ipsius contumaciam voluerit reficere expensas legitimas et dare fidejussorem de judicio sisti, et judicatum solvendo possit intra tres dies a die citationis ad destrictam computandos, a praedicta destricta absolvi presente actore, et locum habeat in prima citatione duntaxat.

QUALITER INSTRUMENTA MANDENTUR EXECUTIONI

Cap. VI.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Instrumenta, et promissiones factae facta, et factae inter quascumque personas Castri Gualdi, vel eius districtus, in dicto Castro vel eius districtu, vel alibi ubicumque scripta, et publicata manu cujuscumque Notarii de dicto Castro, vel eius districtu, vel aliunde quae abrosa, cancellata, seu vitiata non essent, quorum executio peteretur, exequantur, et executioni mandentur per Potesta-

tem dicti Castri contra debitorem, sive debitores ad petitio-
-nem creditoris hoc modo, videlicet, quod ad petitionem creditoris
debitoris per Bajulum Comunis Gualdi, quod intra quinque
dies immediate sequentes post ipsam citationem comparere
debeat coram Potestate dicti Castri ad accipiendum copiam,
si voluerit, talis Instrumenti, quod talis creditor contra
eum petit exequi, et executioni mandari in tanta quan-
-titate, et infra alios quinque dies tunc immediate sequentes
probandum contra ipsum Instrumentum, contra quod
Instrumentum possint opponi exceptiones falsitatis, solutio-
nis usurae, prescriptiones temporis decem Annorum, minoris
aetatis, et pacti conventionis, quae exceptiones si infra dictos
terminos oppositae, et approbatae non fuerint, seu altera
eorum, dictis decem diebus elapsis ad petitionem creditoris,
soluto primo salario sex Denariorum per Libram in
Ceppo Comunis, tale Instrumentum per Potestatem dicti
Castri executioni mandari debeat, et quatenus creditor vo-
-luerit, ipsam executionem faciendo realiter, et personaliter,
contra eum secundum formam suprascriptorum Capitu-
-lorum: Et si in eodem Instrumento essent plures debitores
scripti, et non declaretur quis eorum esset principalis,
nec oppositum sit quod in solidum teneantur, quod execu-
-tio fiat et fieri debeat contra omnes, qui ad petitionem
actoris pro equali portione tangente omnes cogantur ad
solvendum et prius contra principalem debitorem,
quam contra Fidejussorem fiat, et fieri debeat execu-
-tio Instrumenti, et non possit ullo modo gravari, vel

inquietari Fidejussor donec principalis debitor reperiretur, vel de bonis suis tantum quod sufficeret ad satisfactionem debiti et expensarum: De cujus principalis debitoris bonis fiat, et fieri debeat executio per Bajulum Communis praedicti, qua executione facta si in bonis talis debitoris non reperiretur tantum quod sufficeret ad satisfactionem dicti debiti, possit creditor contra Fidejussorem, et alios in ipso Instrumento scriptos procedere, et in dicto casu contra alios debitores executio fieri possit, ut supra dictum est.

QUOD POTESTAS POSSIT DEFERRE JURAMENTUM et de QUOLIBET PRAECEPTO SOLVI FACIAT SALARIUM

Cap. VII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Potestas Castri Gualdi possit, teneatur, et debeat deffinire, et terminare omnes, et singulas questiones, quae coram eo certarentur, per juramentum, quod juramentum detur illi, cui dicto Potestati videbitur convenienter offerri debere, dummodo quantitas, quae peteretur non excedat summam Centum Solidorum Denariorum summarie et de facto sine libelli oblatione, et sine strepitu et figura judicii, etiam a Centum Solidis supra de quacumque quantitate pecuniae vel re verteretur, possit ipse Potestas de voluntate partium, et aliter non: Et si actor vel reus aut alter ipsorum qui partitum fecerit, reservaverit sibi beneficium reprobandi, Potestas statuat terminum Quinque dierum tunc proxime sequendorum ad reprobandum tale juramentum ad cujus reprobationem sufficiat fides, et probatio duorum Testium fide dignorum summarie, et sine aliquali solemni

tate praecedente, dummodo pars adversa sit praesens delationi juramenti dictorum Testium, vel saltem legitime citata, vel per Instrumentum publicum, vel Protocollum, quibus Instrumentis vel Protocollis nulla exceptio possit opponi, praeter Supradictas exceptiones in praecedenti Capitulo descriptas, ad quas exceptiones opponendas tali opponere volenti, seu opponenti Statuatur terminus Quinque Dierum, infra quem terminum, si praedictas exceptiones non probaverit, habeatur pro confesso, et nihilominus puniatur perjurii, ut infra de poena perjurii continetur. Et in casu quo neutra partium venerit ad juramentum, sequatur via ordinaria, et solvatur Salarium Secundum formam Suprascriptorum Capitulorum.

DE INSTRUMENTIS DEBITORUM A VIGINTI ANNIS RETRO FACTIS, NON MANDANTIS ESECUTIONI

Cap. VIII.

Item Statuerunt et ordinaverunt ad obviandum malitiis et cavillationibus hominum, quod nullum Instrumentum debiti, promissionis, sive depositi, et aliarum obligationum factarum a Viginti Annis retro intra quascumque personas Castri Gualdi vel eius Districtus, vel aliunde, in quo aliquis Terrigena dicti Castri reperiretur alicui obligatus peti possit executioni mandari: Sed illud tale Instrumentum Sit ipso jure nullum, et ex eo nulla actio resultet creditori, sed ex nunc cassatur et cancellatur, et pro casso et cancellato habeatur, et reputetur, aliquo Statuto, vel Decreto in contrarium disponente non obstante et hoc Statutum non vindicet Sibi locum in Instrumentis Dotium, et ipsarum restitutionum, venditionum et alienationum, in quibus procedatur via ordinaria Secundum formam

Statutorum presentis Voluminis, quod Statutum non vindi-cet sibi locum in Pupillis, et Minoribus Viginti quinque Annorum, sed procedatur ut juris etc.

DE SEQUESTRATIONE FIENDA

Cap. IX.

Item Statuerunt et ordinaverunt quod Potestas Castri Gualdi teneatur, et debeat ad petitionem cujuscumque personae de Castro et Districtu Gualdi per Bajulum dicti Comunis sequestrari facere quascumque res, et bona cujuscumque Forensis, vel Terrigenae pro debito, ad quod teneretur, et obligatus esset alicui personae de dicto Castro, et eius districtu, et ipsas res, et bona recomandari facere pene aliquam sufficientem personam de dicto Castro donec discussum, et cognitum fuerit de jure partium: Salvo quod si ille, contra quem factum fuerit sequestrum voluerit promittere, et idoneum Fidejussorem dare de judicio sisti, et judicatum solvendo, et expensas reficere, tale sequestrum debeat revocari, et intelligatur esse suspectus ille, qui non possidet bona immobilia sufficientia ad satisfactionem debiti, et expensarum: Et antequam sequestrum fiat fiat fides per illum, qui peteret sequestrum per Instrumentum publicum, vel per Testes, vel .... de novo probandum

DE NON EMENDO AB ALIQUO FORENSE JUS, et ACTIONEM CONTRA ALIQUEM TERRIGENAM.

Cap. X

Item Statuerunt et ordinaverunt, quod nulla persona de

Castro Gualdi, vel eius districtu emat, vel jus aut actionem recipiat ab aliquo Forense contra aliquem Terrigenam Castri Gualdi, vel eius districtus, nec vendat donet, vel concedat aliquod jus, quod haberet, contra aliquem de Gualdo, vel eius districtu, ad poenam Centum Solidorum Denariorum pro quolibet, et vice qualibet, a contrafaciente de facto auferendorum: Salvo quod si Terrigena esset obligatus, seu Forensis Terrigenae usque in quantitatem debiti, de quo appareret jura hinc inde, vendi, et concedi possint, et quod Potestas ad petitionem talis concessionari non possit executionem facere, ad poenam Centum Librarum Denariorum, et executio facta, de facto debeat revocari, et non valeat.

DE ESECUTIONE SENTENTIARUM, et LAUDORUM in CIVILIBUS CAUSIS

Cap. XI

Item Statuerunt et ordinaverunt, quod Potestas Castri Gualdi teneatur, et debeat executioni mandare de facto ad petitionem cujuslibet, cujus interesset, omnes Sententias latas et pronunciatas, factas per eius Praecessorem in Civilibus Causis nec non Lauda data, lata per quoscumque Arbitros et Arbitratores inter quascumque personas, si tales Sententiae sive Lauda non penderent per appellationem, vel reductionem ad arbitrium boni viri vel nullitatem, sed in rem transierint judicatum: Et hoc locum habeant in appellationibus, quae non essent prohibitae per aliquod Capitulum Statutorum Castri Gualdi

DE COGENDIS CONSAGUINEIS, et AFFINIBUS INTER QUOS QUESTIO seu DISCORDIA ESSET AD COMPROMITTENDUM

Cap. XII.

Item ad tollendas inconvenientias, et scandala, quae possent inter Consanguineos, vel Affines oriri: Statuerunt et ordinaverunt, quod Potestas, et quilibet alius Officialis teneatur, et debeat quandocumque, et quotiescumque aliqua discordia orietur inter quoscumque Consanguineos, et affines, quacumque de causa oriretur, ad instantiam alterius eorum litigantium, vel non litigantium, cogere partes personaliter ad compromittendum de ipsa lite, questione, seu discordia in aliquem, vel aliquos ex eorum Consanguineis, vel Affinibus, aut in alios quoscumque Communes, et amicabiles compositores, de quo, vel quibus partes ipse fuerit concordes, et ipsos donec compromiserint non relassare, qui sic coacti, de eo loco eis per Potestatem assignato non discedere ad poenam Centum Solidorum Denariorum pro quolibet contrafaciente, et vice qualibet: Et hoc locum habeat in omni causa, excepti debitis, de quibus appareret Instrumenta, vel Testamenta, vel jam esset sententiatum, in quibus praedictum Statutum locum non habeat.

QUOD ARBITRI et ARBITRATORES in QUACUMQUE CAUSA ELECTI COGANTUR IPSAM FINIRE, et TERMINARE ET SENTENTIAM FERRE INTRA UNUM MENSEM

Cap. XIII.

Item Statuerunt et ordinaverunt quia compromissa inventa fuere utiles, et causae expedirentur, et ne expensis inutilibus partes vexarentur, ne itaque sub tegmine brevitatis expeditionis in longiori tempore partes compromittentes trahantur quod Potestas teneatur, et debeat quoscumque Arbitros, et

Arbitratores electos et nominatos inter quascumque partes, super quacumque compromittenda causa, seu lite, super qua, et ad quam videndam, et cognoscendam electi fuerint, cogere, et compellere ad videndum, cognoscendum, terminandum, ac sententiandum, et laudandum super ea, seu lite super quam, et ad quam videndam et cognoscendam sunt positi, et electi .... infra unum Mensem proxime secuturum a die celebrati compromissi incohandum, ad poenam Quadraginta Solidorum pro qualibet, et vice qualibet auferendorum, et quocumque, vel quibuscumque recusantibus causam sibi, seu eis compromissam finire, et terminare, vel in majori, vel minori termino, secundum continentiam compromissi, in quo terminum aliter statutum, et ordinatum esse appareret.

QUOD QUILIBET FIDEJUBENS SERVETUR INDEMNIS

Cap. XIV.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque dixerit se principalitatem, seu fidejussorem fecisse pro aliqua persona Castri Gualdi, vel eius districtus apud aliquam personam, de qua quidem principalitate, vel fidejussione .... exire, seu damnificationis esset talis principalis, vel fidejussor occasione ipsius principalitati fidejussioni, seu obligationis, et hoc probaverit coram Potestate dicti Castri per publicum Instrumentum, vel per testes fide dignos, quod Potestas coram quo petitum fuerit teneatur, et debeat ad petitionem talis principalis, cogere, et compellere illum, pro quo talis principalitas, seu fidejussio facta fuerit, in Pala-

-tio dicti Communis prout voluerit ille talis, qui principalitatem, seu fidejussionem fecerit, donec ab ipsa principalitate sive fidejussione fuerit conservatus indemnis, et inde recedere non possit sine licentia dicti Principalis, sive Fidejussoris: Et si ille talis qui principalitatem, seu fidejussionem fecerit occasione talis principalitatis, seu fidejussionis damnificatus fuerit in aliqua quantitate pecuniae, cogatur ille talis pro quo principalitas, seu fidejussio facta fuerit, ad restituendum et reficiendum tali damnum passo, totum illud in quo damnificatus esset occasione praedicta summarie et de facto sine Libelli oblatione, sine strepitu et figura judicii, dummodo de damno recepto occasione talis principalitatis, vel fidejussionis legitime fidem fecerit, quam fidem per Instrumentum, vel Testes coram Potestate summarie fieri possit, omni juris solemnitate omissa, et tali.........., detentione, seu processu appellare non possit, seu de nullitate opponi, et praedictum locum habeant pro praeteritis, presentis, et futura.

QUOD VENDITOR POSSIT COGI SUMMARIE AD RECIPIENDUM in SE JUDICIUM de RE VENDITA, DE QUA EMPTORI LIS MOVERETUR

Cap. XV.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis vendiderit alicui personae de Castro Gualdi, vel eius districtu aliquam ....terram, seu possessionem, vel aliquod aliud mobile, vel immobile..........

Summarie, et sine Libelli oblatione, strepitu, et figura judicii, cogere talem venditorem ad recipiendum judicium defensionis in se, ad defendendum, et quod defendat ipsam talem rem venditam, compellendo et cogendo ipsum venditorem omni tempore feriato, et non feriato prout et sicut, quomodo, et quoties emptor voluerit realiter, et personaliter, et praedicta locum habeant ad praeterita, presentia, et futura.

DE POENA VENDENTIUM REM DUOBUS, VEL PLURIBUS in SOLIDUM

Cap. XVI.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque vendiderit alicui personae aliquam rem mobilem, vel immobilem, et ipsam eamdem rem alteri personae uni, vel pluribus vendiderit in Solidum; incidat in poenam Decem Librarum Denariorum, et nihilominus primo facto teneat, et valeat, et aliae venditiones una vel plures, sint, et esse debeant ipso jure NULLAE, et nullius efficaciae, vel valoris, dummodo talis venditor ad petitionem secundi emptoris, seu plurium, si plures essent, teneatur et debeat pretium perceptum pro dicta secunda venditione restituere, et reficere omnia et singula damna, et expensas, quae, et quas substinuisset occasione solutionis talis preti: Et Potestas ad petitionem talis secundi emptoris, praedictum venditorem cogere, et compellere teneatur realiter, et personaliter prout, sicut, et quomodo, et qualiter emptor

praedictus voluerit, diebus feriatis et non feriatis, et praedicta locum habeant ad praeterita, presentia et futura.

QUOD MULIER DOTATA NIHIL ULTRA PETERE POSSIT, NEC SUCCEDERE IN BONIS DOTANTIS DECEDENTIS AB INTESTATO

Cap. XVII.

Item Statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua mulier de Castro Gualdi, vel eius districtu dotata fuerit a Patre, Matre, Fratre, vel Sorore, seu Patruo, vel alia aliqua persona, quod non possit succedere in bonis vel hereditate illius, qui eam dotaverit si decesserit ab intestato, sed contenta sit, et esse debeat suis dotibus, et nihil aliud petere possit in bonis talis dotantis, seu illius qui pro ea dotem promiserit, si decesserit ab intestato, ut prefertur: Et hoc intelligatur superstitibus filiis vel Nepotibus talis dotantis, vel aliis quibuscumque per rectam lineam discendentibus ex eodem dotante Masculis usque in tertium gradum de jure canonico computandum: Et hoc Capitulum sit precisum, et mutari non possit, et locum habeat ad praeterita, presentia et futura.

REQUIRE IN FINE IN ADDITIONE DICTAE RUBRICAE

DE MODO PROCEDENDI CUM ALIQUIS DUBITARET NE ALIQUIS HABERET JUS IN BONIS SUIS

Cap. XVIII.

Item Statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua persona de Castro Gualdi, vel eius districtu dubitaret, quod aliqua alia persona haberet jus aliquod in bonis suis, seu in bonis quae per eum possiderentur, seu aliquid aliud contra eum occasione alicujus .... vel obligationis

per eum, vel aliam personam, cui succedere ....

....

.... Se dubitare de aliqua persona, quod aliquod jus haberet, seu aliquid petere posset contra eum, vel eam, seu in bonis eius facere citare, et requiri per Bajulum Communis, illum, vel illam, de quo, vel qua dubitaretur quod infra terminum Decem Dierum debeat comparere coram ipso Potestate ad ostendendum, monstrandum, et producendum omne jus, quod haberet in bonis illius, seu contra illum, de quo asseveret se dubitare, et si talis citatus non comparuerit in termino unius citationis factae de eo personaliter, seu duarum Citationum factarum ad domum habitationis, citatus habeatur pro contumace, et procedatur contra eum, vel eam ad pronuntiationem, et sibi mandetur personaliter, vel ad domum suae solitae habitationis per Bajulum dicti Communis ex parte dicti Potestatis, quod infra unum Mensem à die praecepti computandum, producere ostendere, et demonstrare debeat omne jus, quod haberet contra illum, vel illam qui, vel quae dicere se dubitare illum contra ipsum aliquod jus habere, vel in eius bonis: Et si ille, de quo dubitaretur infra dictum terminum unius Mensis non produceret et ostenderet jura sua, vel alius pro eo, vel eius nomine, a dicto termino in antea dictum tale praeceptum vim obtineat definitivae Sententiae et ab inde in antea non audiatur per aliquem Officialem dicti Communis in aliquo suo jure, contra talem, qui dubitaret nullum jus acquiratur, et ipso jure, si qua postmodum producerentur, sint ipso jure nulla, et ex eis nulla actiò

competat, et ipsorum vigore contra illum, vel illam, qui, vel quae, ut praedicitur dubitaret, a dicto termino in antea nulla actio, seu executio competat, seu fieri possit.

DE PRIVATA SRIPTURA, et FILIIS NOTARI, SI ESSET NOTARIUS, POSSIT PATRIS ROGITA PUBLICARE

Cap. XIX.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliquis teneretur, vel obligatus esset alicui personae de Castro Gualdi, vel eius districtu, vel aliunde in aliqua quantitate pecuniae, vel re, de qua appareret scriptura manu propria debitoris scripta, quod illi tali scripturae in quantum faceret contra ipsum scriptorem adhibeatur, et reddatur plena fides quemadmodum esset publica et autentica scriptura, et manu publici ac autentici Notari scripta et publicata: Et Potestas dicti Castri possit, teneatur, et debeat ad petitionem illius, qui apponeret creditor in ipsa scriptura, contra scriptorem ipsius tanquam contra debitorem procedere ad pronuntiationem faciendam, et contra suis heredes et bona, in omni eo, et toto quod appareret ex forma, et tenore ipsius scripturae, secundum formam Statuti loquentis de executione........ Instrumentorum, et praedicta omnia locum habeant ad praeterita, presentia et futura: Dicentes insuper, et presenti lege firmantes, quod filius legitimus cuiuscumque Notari mortui, si Notarius fuerit succedat in scripturis, et rogitis sui Patris, quae rogita et scripturas publicare possit, et cancellare, et omnia facere, quae Pater eius ante mortem suam facere poterat, contra quas scripturas nihil possit obijci vel apponi, dum-

modo tali Scriptura non careat Solemnitatibus, et substantialibus Juris.

DE VIIS DANDIS PER TERRAM
ALIQUORUM PER POTESTATEM GUALDI
Cap. XX.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque habet, vel haberet in futurum aliquam possessionem in districtu Gualdi ad quam comode ire, vel ab ea redire non possit, et ad quam per suam possessionem iter, viam, seu auditum liberum non haberet, possit petere, et habere viam et iter, seu auditum duorum pedum, ad pedem perticae Communis Gualdi, dummodo si petenti, vel volenti dictam viam, iter, seu auditum per terras, et possessiones vicinorum proximiorum, et per loca minus damnosa, quae loca minus damnosa declarentur, et declarari debeant per tres de melioribus, et sufficientioribus convicinis, habentibus eorum possessions juxta ipsas terras, seu possessiones, et tali via, sive iter extimetur, declaretur, et declarari debeat per ipsos convicinos, quam extimationem, seu declarationem faciant, et facere teneantur, et debeant juramento praemisso bene, et legaliter, et bona fide, remotis odio, amore, prece, pretio, et timore eorumcumque declarationi stetur, et pareatur, et quicumque contempserit, seu viam dare recusaverit in casu praedicto cogatur per Potestatem ad dandum viam praedictam et iter, et nihilominus de facto pro eo quod recusavit dare viam dictam, de facto Decem Libras Denariorum in Comuni solvere compellatur: Et praedicta Potestas vinculo juramenti fieri facere et observare

teneatur: Facta vero extimatione praedictae viae, ille cui data, et assignata esset via teneatur, et debeat pretium, seu extimationem ipsius solvere illi, vel illis, de quo vel quorum esset talis possessio: Et praedicta locum habeant, et intelligantur in possessionibus quomodocumque ad praeterita, presentia et futura.

DE FERIIS ESTATIS, VINDEMIARUM et ALIIS DIEBUS FESTIVIS

Cap. XXI.

Item statuerunt et ordinaverunt quod Potestas Castri Gualdi, et quilibet alius Officiali dicti Castri positus ad jus reddendum pro Comuni in dicto Castro teneatur, et debeat vinculo juramenti ad poenam Decem Librarum Denariorum de suo solvendorum, singulis diebus juridicis stare ad bancum juris in loco sibi deputato per Potestatem bis in die ad jus reddendum omnibus, et singulis hominibus, et personis coram eo comparere volentibus, et palam, videlicet a media tertia usque ...., et ante vesperas usque vesperas in Civilibus, et criminalibus causis inter quascumque personas et ipsas causas diffinire, et terminare secundum formam Statuti dicti Comunis, et ubi Statuta non loquerentur, secundum jus comune intelligatur: Et sint dies juridici omnes, et singuli dies totius Anni, exceptis diebus infrascriptis, qui feriati sint, et pro feriati habeantur, in quibus diebus jus non debeat reddi, et si redderetur quod fieret non valeat, nec teneat ullo modo: Dies vero feriati sint, et esse debeant infrascripti videlicet Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi cum duobus diebus sequentibus, et om-

UBI NON LOQUITUR STATUTUM JUS COMUNE SERVETUR

DIES FERIATI

nes alt dies immediate sequentes usque ad diem primum Mensis Januarij inclusive: Pasca Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi cum septem diebus praecedentibus et duobus diebus immediate sequentibus: Pasca Pentecostes cum duobus diebus immediate sequentibus: Pasca Epiphaniae - Dies Rogationum - Festum Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi - Festum Omnium Sanctorum - Dies Festivitatis gloriosissimae semper Virginis Mariae - Festivitates Apostolorum et Evangelistarum - Festivitates Beati Michaelis Arcangeli de Mense Maij et S. Crucis de Mense Maij - Festum Sancti Joannis Baptistae de Mense Junij - et Dies S. Martini, S. Blasij Martiris, S. Antonii de Mense Januarij - Festivitates S. Antonii et S. Antholini de Mense Septembris - Dies S. Catarinae, S. Mariae Magdalenae, S. Luciae - Omnes dies Dominicales, omnes dies Veneris de Mense Martij, et aliis autem diebus omnibus jus reddatur, ut supra dictum est.

VIDUIS, ORPHANIS, PUPILLIS JUS SUMMARIUM.

Forensibus vero, Viduis, Orphanis, Pupillis, et aliis quibuscumque miserabilibus personis fiat et fieri debeat summarium et favorabile jus sive actores sint, sive rei, prout, et sicut ipsi Potestati videbitur, et placebit omni juris solemnitate omissa, dummodo Forensibus in eorum terris idem ordo servetur: Et quicumque voluerit conqueri de aliquo veniat, et venire debeat coram Curia dicti Comunis horis praedictis, in quibus horis ut ad singulorum

notitiam praedicta perveniant, Potestas faciat pulsari Cam-
FERIAE ESTATIS panam Comunis Gualdi. Feriae autem Estatis incipi-
ant in Kalendis Mensis IULII, et durent usque
ad Festum Sanctae Mariae de Mense AUGUSTI
VINDEMIARUM inclusive. Feriae vero Vindemiarum incipiunt in die Festivi-
tatis Sancti Angeli de Mense septembris, et durent
quindecim diebus continuis immediate sequentibus,
quibus diebus Potestas stare non debeat ad Bancum ad jus
reddendum in Civilibus, et praedicta intelligantur, et locum
habeant in Civilibus Causis tantum. In Criminalibus
vero non obstantibus dictis Feriis vel aliis quibuscumque possint
Processus formari et super his procedi sicuti, et quomodo aliis
diebus juridicis.

QUOD NOTARI TENEANTUR SCRIBERE EXTENSE SCRIPTURAS, DE QUIBUS FUERINT ROGATI et DE IPSORUM SALARIO

Cap. XXII.

Item quia dignum fore censuerunt ut omnes Notari in eorum arte regulam patiantur, quemadmodum, et alii patiuntur .... comoditati, et sibi ipsis pro Scripturis fecerint praeter modum et ordinem satisfaciant, et percipiant; Idcirco presenti constitutione firmantes, et statuentes, quod omnes, et singuli Notari de Castro Gualdi possint, teneantur, et debeant Scripturas, quas fecerint, et de quibus fuerint rogati, scribere extense et aperte secundum voluntatem contrahentium in Libro Rogitorum talis Notari, qui fuerit inde rogatus, infra Unum Mensem a die stipulationis talis contractus. Solvant ipsi Notario inde rogato pro prima Scriptura Bo-

nonenum unum pro qualibet parte de quocumque Contractu, et cujuscumque conditionis fuerit. Pro Instrumentis vero in publicam formam redactis Notarii praedicti qui fuerint inde rogati, percipiant, percipere possint, et valeant quantitates infrascriptas, videlicet: Pro quolibet Instrumento dotali, venditionis, donationis, quietationis, ultimae voluntatis, divisionis, mutui et depositi, ac etiam obligationis a Centum Libris Denariorum extimationis infra, Notarius qui fuerit rogatus et in publicam formam Instrumentum reddiderit percipiat ab eo cujus interierit Bononenos Octo. Ab inde vero supra usque in omnem Summam, et extimationem Denarios sex pro quolibet Floreno, vel extimatione rei. De aliis quibuscumque Instrumentis in publicam formam redactis, velut de Instrumento pacis, procurae, et de similibus percipere possit usque in omnem Summam Bononenos Octo, et non ultra: Addicientes huic Capitulo, quod Notarii praedicti ad istantiam cujuslibet, cujus interierit teneantur et debeant infra quatuor dies postquam fuerint requisiti, scribere et publicare Instrumentum seu Instrumenta de quibus fuerint rogati, et quae petereutur ab illis, quorum interessent, ut praedicitur, ad dictam poenam.

DE MODO SERVANDO QUANDO QUIS PETIERIT SE MITTI IN TENUTAM, et POSSESSIONEM REI QUAM ASSERVERIT AD SE SPECTARE

Cap. XXIII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis peteret se mitti in tenutam, vel possessionem alicuius rei mobilis, vel immobilis, quam diceret ad se pertinere, citari faciat possessorem ipsius

rei bis, et si dictus talis possessor fuerit contumax, et non comparuerit in termino assignando per Curiam dicti Comunis ex parte Potestatis dicti Castri, quod ipsis terminis elapsis, Potestas teneatur ad petitionem illius, qui peteret se mitti in possessionem, pronunciare ipsum actorem fore mittendum in possessionem, et tenutam ipsius rei petitae, et ipsum actorem mitti, et poni facere in corporalem possessionem, et tenutam dictae rei per Bajulum dicti Comunis: Si vero infra unum Mensem dictus talis possessor non comparuerit, et jura sua non produxerit, ab inde in antea ille talis, qui positus et missus fuerit in possessione auctoritate Curiae, remaneat in possessione illius rei, et idem intelligatur talis possessor comparuerit in termino citationis de eo factae coram Potestate, et non produxerit jura, vel non allegaverit causam quare talis actor non debeat mitti in possessionem, et tenutam dictae rei, vel si produxerit minus valida, et non juridica, et causam allegaverit injustam, et non admittendam: Sed si sua jura in forma produxerit, aut justam causam allegaverit, procedatur via ordinaria secundum formam Statutorum presentis Voluminis.

QUOD QUICUMQUE SUBSTINUERIT ALIQUOD DAMNUM OCCASIONE RAPRESALIARUM CONSERVETUR IMDEMNIS

Cap. XXIV.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque de Castro Gualdi, vel eius districtu substinuerit, vel sustenebit aliquod damnum, seu solverit, vel solvet aliquam quantitatem pecuniae occasione Rapresaliarum concessarum contra Comune, seu singulares personas dicti Castri alicui personae pro debito alicu-

jus Terrigenae eiusdem Castri, in aliquo loco culpa Terrigenae Castri praefati, vel eius districtus, et talis damnum passus probaverit in uno Teste bonae famae et fide digno, quod dictum damnum substinuerit, Potestas, et quilibet alius Officialis dicti Comunis positus ad jus reddendum, teneatur, et debeat ad petitionem talis damnum passi, recepta primo fide, ut dictum est, statim de facto, omni juris solemnitate amissa, cogere et compellere realiter, et personaliter illum talem, pro quo et cujus culpa Represaliae concessae essent, prout voluerit ille, qui damnum passus esset, usque ad integram satisfactionem dicti damni: Item si quis occasione debiti Comunis aut alicujus specialis personae dicti Castri Gualdi per aliquam obligationem, vel facti contractus per eum cum aliquo Forense contra Comune dicta de causa, seu specialem personam ipsius Castri Gualdi per aliquam Communitatem Represaliae concederentur, vel ad instantiam specialis personae, si personae detinerentur, volunt quod expensis Comunis mittatur Ambaxiata ad illam terram ad petitionem cujuscumque petentis, si pro debito Comunis fuerit detentus, et expensis dicti Comunis defendatur, et damna reficiantur et expensae factae occasione praedicta, Salvo et reservato quod si preconizaretur ex parte Dominorum Defensorum dicti Castri, sive Potestatis per loco publica et consueta dicti Castri, quod nullus de dicto loco, et Castro vel eius districtu, sive habitator eiusdem audeat exire intra Territorium dicti Castri dicta occasione, exprimendo causam in bannimentis, quod qui contrafecerit vadat ad suum resicum, periculum, et fortunam, et dicto casu talis contrafaciens, et dicta de causa carceratus, et quomodocum-

-que detentus communibus expensis minime defendatur, nec....... per dictum Commune damna, interesse, et expensae per ipsum detentum sive carceratum............ reficiantur. Si vero pro debito alterius spetialis personae fuerit detentus, reneatur solvere, et restituere tali detento, vel illi ad cujus instantiam ille talis Castellanus detentus fuerit, absque aliqua alia citatione, seu processu, cogatur de facto per Potestatem solvere omnem quantitatem, pro qua ille talis fuerit detentus, ad reficiendum omnia, et singula damna, expensas, et interesse, de quibus stetur juramento ipsum damnum passi.

DE CERTA PARTE DOTIS REMANENDA PENES MARITUM UXORE MORIENTE SINE LIBERIS.

Cap. XXV.

Item volentes modis omnibus congruis providere laboribus, oneribus et expensis factis per viros tempore nuptiarum, nec omnes sumptus dictis temporibus propriis expensis fecisse intelligantur, statuerunt et ordinaverunt quod si contigerit aliquam Mulierem dotatam mori sine liberis ex se natis, eius dote soluta Viro suo in totum vel in partem postquam ipsa penes Maritum fuerit, et matrimonium per carnalem copulam consumatum esset, filiis ex ea non remanentibus ex dicto Marito, quod Maritus lucretur, et habeat quartam partem praedictae Dotis, quae quarta pars nullo modo repeti possit, et hoc Capitulum sit praecisum, et mutari non possit.

DE ESAMINATIONIBUS TESTIUM

Cap. XXVI.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod in omnibus et singulis causis, et questionibus civilibus in quibus litis contestatio, et terminus ad probandum fuerit assignatus partibus, vel alteri partium litigantium, quod Potestas dicti Communis, ad quem hujusmodi causa diffinienda spectaret, seu coram quo talis questio verteretur, teneatur, et debeat vinculo juramenti ad poenam Decem Librarum Denariorum de suo salario excomputandum post terminum datum parti ad faciendum Interrogatoria super Articulis actoris, examinare omnes Testes juratos in dicta causa, et eorum attestationes, et dicta clare ordinare, et aperte scribere in dicto termino infra Decem dies continuos postquam per partem, vel Procuratorem fuerint coram eo .... nisi per ipsum producentem ipsos Testes steterit quo minus examinari deberent.

DE ETATE FILIORUM PROBANDA

Cap. XXVII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si de etate alicujus dubitaretur, quod tali etas probetur, et probari possit per Juramentum Patris, et Matris, vel alterius eorum: Salvo quod si aliquis vellet probare contradictum juramentum Parentum, quod eius probatio admittatur, et si probaverit per Testes idoneos omni exceptione majores non stetur juramento Parentum.

QUOD NULLA MULIER PATRE CAVENS AUDEAT SE MARITARE SINE LICENTIA, et REQUISITIONE DUORUM CONSAGUINEORUM.

Cap. XXVIII.

Item statuerunt et ordinaverunt quod nulla Mulier de Gualdo

Patre carens, audeat, vel presumat se alicui maritare sine licentia previa, et consensu duorum Consanguineorum proximiorum ipsius Mulieris masculorum, vel saltem sine requisitione ipsorum legitime de eis fienda, et si contrafecerit, cadat ipso facto a Successione Jurium suorum bonorum, in quibus succederet tam paternis, quam maternis, quae quidem bona sint Comuni Gualdi pro medietate confiscata, et pro alia medietate Consanguineis proximioribus ex recta linea, et nullus eorum audeat, vel presumat scribere Instrumentum Dotis tali Mulieris, nec Sponsaliorum ipsius, sive Matrimonii nec aliquod aliud Instrumentum ad talia quomodolibet pertinens, sine licentia dictorum duorum Consanguineorum, qui asserant talem Mulierem ante tale Instrumentum conficiendum fuisse maritata, et qui contrafecerit in Decem Libris Denariorum currentium vice qualibet puniatur, et praedicta locum habeant ad praeterita, presentia et futura.

QUOD NULLUS POSSIT PETERE A COMUNI DEBITUM

Cap. XXIX

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nulla persona possit, vel debeat petere, nec habere a Comuni Gualdi aliquam quantitatem pecuniae, quam diceret se debere recipere a Comuni Gualdi a quinque annis retro nisi haberet publicum Instrumentum, ad poenam quinque Solidorum pro quolibet, et vice qualibet.

QUOD NULLUS QUI ALIQUI SERVIERIT POSSIT PETERE ALIQUID OCCASIONE TALIS SERVITII, NISI QUOD EX PACTO, VEL CONVENTIONE FECERIT

Cap. XXX.

Item quia multi sunt, qui dum et invicem admittuntur mutuo hinc inde plurima servitia faciunt animo nullius consequendi lucri, qui postmodum insidiatione inimici humani generis venientes ad discordiam nituntur ex largitis beneficiis premia consequi grandiora. Nos itaque cupientes per quantum possumus obviare fallaciis hujusmodi humani generis inimici, statuimus et presenti lege firmamus, quod nullus de Castro Gualdi vel eius districtus, qui alicui servierit, seu auxiliatus fuerit ad aliquod laboritium vel exercitium, et quo premium aliquod posset quomodolibet promoveri possit, vel audeat a dicto tali, cui servierit, vel auxiliatus fuerit aliquid pro mercede......... dicti prestiti servitii petere, nec habere, nisi primo cum dicto tali convenerit, et conventionem fecerit spetialem vel generalem, quo casu petere possit occasione predicta premium sibi dari dicta conventione per duos testes legitime producta, et aliter non audiatur.

QUOD VENDITIO FACTA DE RE IMMOBILI, CUJUS REI POSSESSIO NON FUERIT ACCEPTA INFRA BIENNIUM, SIT NULLA et INSTRUMENTUM INDE CONFECTUM NULLUM REPUTETUR

Cap. XXXI.

Item ad obviandum fraudibus seu quae saepe inventionibus committantur, quae plurimum hominibus nocuerunt, statuerunt et ordinaverunt, quod venditio qualibet facta, seu quae fierit in futurum per quamcumque personam de re immobili et de ipsa re per emptorem non fuerit tenuta

seu possessio corporalis accepta infra Biennium a die celebratae venditionis computandum, talis venditio sit nulla, et nullum sortiatur effectum, ac si minime facta fuisset. Et Instrumentum inde confectum fictitium reputetur et sit nullum, et nulla emptori praedicto ex tali Instrumento resultet actio, et hoc Capitulum sit precisum, et mutari non possit, et locum habeat ad praeterita, presentia et futura

QUOD NULLA MULIER

POSSIT FACERE ALIQUAM DONATIONEM, VENDITIONEM

SEU OBLIGATIONEM

Cap. XXXII.

Item ne Mulieres blanditiis decipiantur, statuerunt et ordinaverunt, QUOD NULLA MULIER DE CASTRO GUALDI vel eius destrictu possit vel valeat FACERE VENDITIONEM donationem, vel obligationem aliqualem de Bonis suis a Decem Libris Denariorum supra, absque presentia, consensu, et voluntate SUI VIRI, si habuerit, et duorum Consanguineorum proximiorum, vel saltem requisitorum per Baiulum Comunis si fuerit ex linea directa: si vero non invenirentur, seu fuerint ex linea diretta, compellantur idem de Affinibus propinquioribus et ipsis non existentibus, vel alter fiat, et fieri possit et valeat talis venditio, Donatio, Alienatio, Concessio, vel Obligatio coram Potestate ad quod ipse Potestas auctoritatem et decretum suum, et dicti Comunis interponere teneatur, et debeat et talis venditio, Donatio, Alienatio, Concessio, seu Obligatio sic facta teneat

et valeat pleno jure, et aliter non.

QUOD QUATUORDECIM ANNORUM MINORES NON ADMITTANTUR AD TESTIMONIUM IN CIVILIBUS CAUSIS

Cap. XXXIII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nullus de Gualdo, vel districtu eius, aut aliunde Minor Quatuordecim Annorum admittatur, vel admitti possit ad testimonium perhibendum in aliquo Civili actu, et si admitteretur attestatio talis Minoris in Civilibus actis, intelligatur fidem seu probationem faciat, nec vigore talis attestationis possit per Potestatem in aliqua causa procedi seu sententiari. Et quod Processum, et terminatum fuerit vigore attestationis talis Minoris, non valeat, nec teneat.

DE ELECTIONE QUATUOR BONORUM VIRORUM AD DECIDENDAS QUESTIONES CIVILES

Cap. XXXIV.

Item statuerunt et ordinaverunt pro evidenti comodo hominum et personarum Castri Gualdi, quod Potestas Comunis dicti Castri, qui nunc est, aut pro tempore fuerit, teneatur, et debeat vinculo juramenti, ad poenam Viginti quinque Librarum Denariorum de suo salario, eligi facere per Consilium Spetiale infra quindecim dies post initium sui Offitii Quatuor Bonos Viros de dicto Castro, qui sic electi, pro bono pacis, et concordiae, ac comodo et utilitate praedictorum, habeant plenum, et liberum arbitrium vigore presentis Statuti videndi, cognoscendi, decidendi omnes et singulas lites, et questiones, et causas civiles vertentes coram presente Potestate, et qui pro tempore fuerit, et verti poterunt in futurum inter quascumque personas de Castro Gualdi sum-

marie, et de plano, de jure, et de facto, et prefatus Potestas, et qui pro tempore fuerit habeat arbitrium, et mandatum vigore hujus presentis Statuti compellendi, cottringendi partes litigantes ad requisitionem Dominorum Defensorum pro tempore existentium, seu partium litigantium, vel alterius ipsarum, ex suo arbitrio ad ipsas lites, causas, et questiones compromittendum de jure tantum, aut de jure, et de facto, et eisdem partibus imponere poenam Viginti Librarum Denariorum ut non recedant de Ecclesia Sancti Antonii de dicto Castro Si Feminae fuerint, Si Masculi de Palatio compromiserint modis praedictis in manus dictorum sic electorum. Teneantur etiam ad dictam requisitionem idem Dominus Potestas pronuntiare ipsam, vel ipsas causas nominandas per praefatos Dominos Defensores, vel ad requisitionem partium, quae sint ex nunc, et esse debeant in dictos Quatuor sic electos, et facto compromisso per partes in ipsis quatuor Boni Viri sic electis, Potestas praecipere teneatur, et debeat dictis partibus ad poenam praedictam infra decem dies proxime venturos, debeant ostendisse, dedisse, et produxisse, et consignasse omnia et singula eorum jura, quae producta et ostensa, et allegata fuerint coram Potestate Castri praedicti: Et quae, et coram ipsis Quatuor sic electis potuerint dicere, producere et allegare infra dictum terminum. Et ipse Potestas statuat, et praefigat terminum ipsis Quatuor electis, quod infra decem, vel quindecim subsequentes dies teneantur, et debeant deffinisse, et terminasse lites, et causas in eis compromissas, poena arbitrio Potestatis auferenda, prius dictis quatuor sic electis ad praedicta, si compromissum in eis per partes factum fuerit de jure tantum delato, et

prestito eis corporali juramento per Potestatem de bene fideliter, et legaliter, ac de jure sententiando, et decretando sub consilio sapienti: Et ei illis compromissis factum eidem quatuor sic electi, ut supra, summarie et de plano, de jure et de facto sive sacramento possint deffinire, decidere, et terminare prout discretioni ipsorum videbitur convenire: Et post dictum terminum assignatum supradictis partibus ad producendum jura eorum, et producta, cogantur dictae partes per supradictum Dominum Potestatem ad dandum, et assignandum sapientes suspectos in causis eorum, et de jure dantum compromissis in eis de quatuor sic electis, et datis, et assignatis per ipsas partes sapientibus suspectis, ipsi quatuor sic electi in simul, et occulte, nulla partium sciente receptis omnibus, et singulis ipsarum partium juribus, teneantur, et debeant eligere unum bonum, et sapientem Jurisperitum, seu legum Doctorem, ab ipsis partibus non datum, nec assignatum suspectum, ad quem ire, et accedere debeant cum omnibus et singulis juribus ipsarum partium coram eis exhibitis, et productis eorumdem partium sumptibus, et expensis, et mercede: Qui, ut supra sic electi pro dictis sumptibus et expensis, et mercede habeant, et habere debeant pro quolibet, et qualibet die Bononenos sex a dictis partibus, et etiam recipiant ab ipsis partibus sufficientem mercedem pro habendo consilio sapientis sub sigillo, et pro copia sententiae ex eo Consilio ferendae per eosdem quatuor sic electos, manu propria scripto—

ris dicti Consilii Scripta: Et hoc facto Supradicti Quatuor sic electi teneantur, et debeant poena arbitrio Potestatis auferenda, ad Bancum juris Cantarum Civilium positum, et affixum in Sala magna Palatii Comunis praedicti pro Tribunali Sedere, et Sententiam ferre, cum rogatione publici Notari, et secundum continentiam supradictae copiae, quae vero dictae partes ante legitimationem citentur per Bajulum dicti Comunis ad audiendam Sententiam: quorum .... dictae partes tantum absentes quam presentes teneantur et debeant stare tacitae, et contentae, et contra non facere, vel venire, ad poenam in compromisso contentam. Et haec omnia in presenti Capitulo contenta Potestas teneatur, et debeat ad supradictam poenam observari facere. Et hoc Capitulum sit precisum, et locum habeat ad praeterita, presentia et futura.

LIBER TERTIUS

INCIPIT LIBER TERTIUS de MALEFICIIS

DE LIBERTATE CONCESSA POTESTATI SUPER INVESTIGATIONE MALEFICIUM

Cap. I.

Statuerunt et ordinaverunt Statutari supradicti, quod Potestas Comunis Gualdi, et quilibet alius Offitialis Castri praedicti, cui commissa est Auctoritas, sive jurisditio per Comune Gualdi, et quilibet ipsorum per se, possit teneatur, et debeat inquirere, investigare, et invenire ex suo, et suae Curiae Offitio, cum denuntiatione et sine prout quomodo et quotiens, et quando opus fuerit, et sibi videbitur, de omnibus et singulis malefitiis injuriis, percussionibus, nec non generaliter de omnibus, et quibuscumque aliis malefitiis dicto, vel facto, factis commis, illatis in Castro Gualdi et eius Territorio, et destrictu et alibi ubicumque fuerint commissae per quoscumque homines, et personas Castri, et destrictus eiusdem, et per accusationem inquisitionemque procedere et repertos culpabiles punire et condemnari secundum formam Statutorum dicti Castri et Capituli de tali malefitio loquentis, et ubi non loqueretur procedere de similibus ad similia non obstante si ordo, vel solemnitas juris in procedendo servata non fuerit, dummodo de malefitio, seu delicto constet, et super ipsis malefitiis procedere, si constat, et dicitur, de malefitio per famam publicam, et inditiis per dicta Testium probandis, et procedere et processus formare diebus feriatis et non feriatis contra quascumque personas, et contra filios familias, non obstante quod filius familias sit minor, seu aliquis alius esset, qui commiserit malefitium, sive delictum, qui sive Patris, Domini, Tutoris

vel Curatoris consensu, et in judicio interesse possit, et si confitebitur malefitium, vel contra eum probatum fuerit, puniri, et condemnari posse, si Patris, Domini, Tutoris, vel Curatoris auctoritas, vel consensus non intervenerit. Possit contra Filium Familias, sive Patris, Tutoris, vel Curatoris consensu accusare, et denuntiare de quolibet malefitio a Decimo Anno supra, et talis accusatio, sive denuntiatio roboris obtineat firmitatem, si minor tamen Decem Annorum non teneatur ad poenam pro levi delicto, excessu, vel malefitio.

QUAE PERSONAE ADMITTANTUR AD ACCUSANDUM IN MALEFITIIS

Cap. II.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quilibet contra quem fuit allata injuria verbo, vel facto contra se commissum fuerit malefitium, cujuscumque status vel conditionis existat, possit, et valeat de dicto malefitio contra se commisso accusare, et etiam Pater, Mater possint accusare de omni malefitio, et injuria commessa in personam Filii, et converso Pater, vel Soror de malefitio: et injuria commissis in personam Fratris, vel Sororis, Avus, et Avia, Patruus et Avunculus possint denuntiare, et accusare de omni malefitio, et excessu commisso in personam Neptis vel Nepotis, et Maritus de omni malefitio, et injuria commissis in personam Uxoris, et quilibet alius Conjunctus passo injuriam usque in tertium gradum, sicut, et quomodo principalis injuratus, et offensus, seu injustitiam passus accusare, et denuntiare possit.

ET DE BENEFITIO PACIS, ET OFFENSIONIS, ET DE CITATIONIBUS IN MALEFITIIS

Cap. III.

CITATIO PERSONALIS SEMEL

BIS DOMI CITATUS CUM UNO TESTE

TERMINUS TRIUM DIERUM

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque fuerit pro aliquo malefitio, de quo contra eum, vel eam procederetur per accusationem, denuntiationem, vel inquisitionem, si personaliter citatus fuerit, sufficiat citatio facta semel. Si vero ad domum solitae habitationis bis debeat citari, et qualibet dictarum citationum fiat, et fieri debeat cum uno teste ad minus, et cum dimissione cedulae continentis totum tenorem, et effectum accusationis, denuntiationis, vel inquisitionis contra eum, vel contra eam formatae, et in qualibet citatione statuatur terminus trium dierum ad minus, et si non comparuerit in termino citationis de eo, vel ea factae, nec aliquis alius defensor legitimus pro eo, elapso termino in antea habeatur PRO CONFESSO, et convicto de omni eo, et de quo accusatus, vel denuntiatus fuerit, seu de quo contra eum vel eam inquireretur, ac si tale malefitium per eum, vel eam proprio ore confessus, vel confessa fuisset coram Curia dicti Comunis: Salvo, et reservato quod post terminum sive terminos citationis de eo, vel ea factae, ille talis citatus, et non comparens, per Bajulum dicti Comunis, ad Portam Palatii dicti Comunis alta voce praemissa EXBANIATUR de Castro Gualdi, et eius districtu in ea quantitate pecuniae, in qua per formam Statuti loquentis de tali malefitio veniret condemnandus, in quo banno, sive exbannimento assignetur, et assignari debeat terminus quinque dierum immediate sequentium, infra quem idem coram Potestate et Curia Comunis Gualdi comparere, et se excusare possit, a quo dicto termino elapso in antea non audiatur in aliquo suo jure: Si vero ille talis accusatus, vel denuntiatus, seu contra quem inquireretur occasione alicujus malefitii, vel excessus esset absens a Castro Gualdi, et eius absentia

allegaretur per aliquam personam, quod in eo casu Potestas dicti Comunis, qui de tali malefitio cognosceret, ad istantiam cujuscumque petentis, et absentiam allegantis, recepta prius fide...... de ipsius absentia, teneatur, et debeat competentem terminum sibi petenti, et absentiam alleganti pro tali absentia assignare, infra quem terminum comode a loco ubi esset, redire possit, et ad ipsum locum Nuntium destinari: Si vero infra terminum citationis, vel banni comparuerit accusatus, denunciatus, vel inquisitus cogatur, et cogi debeat adrespondendum accusationi, vel inquisitioni de eo factae seu contra eum formatae, et facta responsione detineatur in carceribus Comunis prout Potestati videbitur, et placebit, donec promiserit stare, et parere mandatis Curiae, et Comunis, et solvere omnem condemnationem de eo faciendam occasione tali malefiti, vel excessus, et de se presentando coram Curia quotiens opus fuerit, et Dominus Potestas voluerit: Et assignetur terminus decem dierum ad omnem suam aliam detentionem faciendam, et pro observatione praedictorum sufficientes et idoneos fidejussores dederit et si fidejussorem habere non potrit, detineatur in carceribus donec condemnationem, quae de eo fieret Camerario Comunis solverit cum effectu. Et si in prima comparitione et responsione accusatus, denuntiatus, et inquisitus confessus fecerit maleficium, de quo accusatus, denuntiatus, vel inquisitus esset habeat beneficium quartae partis poenae suae condemnationis, quae de tali malefitio fieri deberet, per formam Statuti

de tali malefitio loquentis, quae quarta pars sibi detrahi debeat tempore suae condemnationis, et condemnetur in tribus partibus tantum praedictae poenae: Si vero de tali malefitio, vel delicto talis accusatus, denuntiatus, vel contra quem inquireretur pacem habuerit ab injuram passo, habeat benefitium medietatis poenae, in quam condemnari deberet pro tali malefitio, ita quod propter confessionem, et pacem condemnetur in quarta parte tantum poenae in Statuto contentae: Si vero malefitium negaverit et pacem habuerit, ut superius dictum est, condemnetur in medietate poenae tantum, dummodo de pace habita appareat in filza Potestatis per publicum Instrumentum, quod produci possit per quamcumque personam ante Sententiam latam quod Instrumentum faciat plenam probationem de malefitio, de quo in tali Instrumento mentio fieret, et per producentem ipsum Instrumentum intelligatur malefitium esse probatum: Si vero Instrumentum pacis non produceretur ante Sententiam, talis accusatus, denuntiatus, vel inquisitus benefitium superius dictum minime consequatur: Et quod Potestas teneatur, et debeat quemlibet Processum a die incohationis intra Mensem expedire, et si contrafecerit pro quolibet Processu infra dictum terminum non expedito puniatur poena Decem Librarum de suo Salario retinendarum, et similiter dicentes de Processibus .... pendentibus.

DE POENA INSULTANTIS CONTRA ALIQUEM, ET DE POENA PRESTATIUM AUXILIUM, CONSILIUM VEL FAVOREM

Cap. IV.

Ad reprimendum iniquitiam maleficiorum, et fautorum eius

Statuerunt et ordinaverunt, QUOD SI QUIS CONTRA ALIQUEM IN CASTRO GUALDI vel eius destrictu fecerit insultum, impetum, vel aggressum, si cum armis, et non percusserit, pro dicto insultu tantum condemnetur in Decem Libris Denariorum: SI VERO PERCUSSERIT PUNIATUR et condemnetur pro insultu ut praedictum, et pro percussione secundum formam Capituli loquentis de tali materia: SI INSULTUM FECERIT SINE ARMIS, ET NON PERCUSSERIT CONDEMNETUR in Quadraginta Solidis: SI VERO PERCUSSERIT CONDEMNETUR PRO INSULTU, et pro percussione secundum formam Statuti loquentis de tali materia: SI VERO INSULTUM QUIS FECERIT ALICUI AD DOMUM PROPRIAM vel conductam pro solo insultu sine armis in Decem Libris Denariorum condemnetur: ET SI CUM ARMIS in Viginti Quinque Libris Denariorum condemnetur, et in eandem poenam teneantur, et condemnentur, qui in praedictis, circa praedicta, seu aliquo praedictorum auxilium prestarent, consilium vel favorem, ita tamen quod habita concordia, et pace tollatur medietas dictae poenae.

MEDIETAS POENAE PERCUSSORUM

DE POENA PERCUSSIONIBUS FACTIS CUM ARMIS, ET SINE

Cap. V.

Item Statuerunt et ordinaverunt, quod si aliquis aliquem percusserit cum Cultello, Spada, Spuntone, Fulcastro, Lancea, Securi, Iaculo, Mannaria, Mazza ferrea vel cum aliquibus aliis quibuscumque armis ferreis, seu ferratis quocumque nomine nuncupentur in Castro Gualdi et eius destrictu in Capite, facie, vel Collo, si in facie et san-

quis exiverit, et cicatrix, seu signum evidens fuerit remansurum ex tali vulnere in Quinquaginta Libris Denariorum COMUNI PRAEDICTO pro quolibet tali .... condemnetur: Si vero in capite vel collo et sanguis exiverit, et cicatrix fuerit remansura, sive non pro quolibet vulnere, et qualibet percussione in Viginti Quinque Libris Denariorum condemnetur. Si in capite cum fractura Cranii in Quinquaginta Libris Denariorum condemnetur: Si vero cum lapide, baculo, vel aliis similibus quibuscumque armis non ferreis seu ferratis aliquis aliquem percusserit a collo supra, vel in collo, et sanguis exiverit pro quolibet vulnere et percussione in Quindecim Libris Denariorum condemnetur: Si vero sanguis non exiverit in Centum Solidis Denariorum condemnetur. Si vero aliquis aliquem percusserit a collo infra cum aliquibus et supra dictis armis et sanguis inde exiverit pro quolibet vulnere et percussione in Viginti Quinque Libris Denariorum condemnetur: Si vero cum baculo, lapide, et similibus armis, seu aliis quibuscumque armis non ferreis aliquis aliquem percusserit a collo infra, et sanguis inde exiverit, pro quolibet vulnere et percussione in Decem Libris Denariorum condemnetur, et si sanguis non exiverit in Centum Solidis: Et si projecerit, et non percusserit in dicta poena Centum Solidorum: Si vero manu vacua vel sine armis aliquis aliquem percusserit a collo supra, vel in collo, et sanguis inde exiverit, pro qualibet percussione in

Decem Libris Denariorum condemnetur: Si vero sanguis non exiverit pro qualibet percussione in Centum Solidis Denariorum condemnetur: Si a collo infra sine armis aliquis aliquem percusserit et sanguis inde exierit pro qualibet percussione in Centum Solidis Denariorum condemnetur: Et praedicta intelligantur de percussionibus manu vacua factis: Si vero aliquis aliquem percusserit, seu spatassaverit, et eum cadere fecerit in terram pro qualibet vice in Quadraginta Solidis Denariorum condemnetur, et si non cecciderit in terram pro qualibet vice in Viginti Solidis Denariorum condemnetur: Si vero cum pede percusserit, seu calcum dederit, et percussus caderet in terram, pro qualibet calcio in Quatraginta Solidis Denariorum condemnetur: Et si non cecciderit in terram, pro qualibet calcio et percussione in Viginti Solidis Denariorum condemnetur: Si vero aliquis aliquem per capillos ceperit, et trassinaverit per terram, pro qualibet vice in Centum Solidis Denariorum condemnetur: Si vero non trassinaverit per terram in Quatraginta Solidis Denariorum condemnetur: Si aliquis alicui Caputeum sive Birectum de capite elevaverit in Viginti Solidis Denariorum vice qualibet condemnetur. Et idem intelligatur et observetur in quolibet casuum praedictorum. Si aliquis Castellanus Castri Gualdi, aliquem alium Castellanum, seu districtualem Castri Gualdi extra territorium dicti Castri offenderet, per Curiam dicti Castri cognosci possit, et puniri, et condemnari debeat secundum

formam presentis Capituli, non obstante quod in loco dicti commissi malefitii per Curiam ipsius loci cognitum fuerit: Exceptis a predictis minoribus Decem annis, qui ad dictas poenas minime teneantur, et exceptis his qui manu vacua in modum correctionis verberaverint aliquos minores Duodecim annis, quos invenerint dannum dare in suis possessionibus personaliter vel cum Bestiis, dummodo ex tali verberatione sanguis non exeat, qui ad poenas praedictas etiam minime teneantur.

DE POENA COMMITTENTIS HOMICIDIUM

Cap. VI.

HOMICIDIUM Item Statuerunt et ordinaverunt ad hoc ut quilibet metu poenae materiam habeat recte vivendi, quod si contingat aliquem Castellanum, seu districtualem Castri Gualdi, vel Forensem in Castro praedicto, vel eius districtu aliquem in alium Castellanum, vel districtualem dicti Castri, aut alium quemcumque Forensem, studiose vel casualiter casualiter interficere, quod tali interfector seu interemptor, si ad manus, et fortiam Comunis Castri praediti pervenerit, et haberi poterit, in Carceribus Comunis detrudatur, et custodiatur et pro cognoscenda veritate dicti malefitii, talis committens poni possit ad Torturam habito inditio verisimili contra talem, contra quem proceditur, et si per eius confessionem de commisso homicidio constiterit, prefigatur sibi terminus ad omnem suam defensionem faciendam Decem dierum computandorum a die factae dictae confessionis: Et si nullam fecerit vel minus legitimam, cogatur facere renuntiationem ad Bancum, seu Stangham Banchi malefitiorum coram Potestate pro Tribunali sedente, et facta re-

nuntiatione praedicta, quae pro legitima confessione habeatur, et reputetur, ducatur, et duci debeat in die Sabbati sequenti ad locum Iustitiae, ubi solita est fieri, et ibi per executorem, vel Manogoltum, dicto tali caput à spatulis amputetur, et dividatur adeo quod anima à corpore separetur: Et simili modo et forma contra talem homicidam procedatur, etiam si maleficium commissum negaverit, et per duos Testes fide dignos deponentes ad plenum de visu fuerit contra dictum talem homicidam probatum; et si talis homicida infra terminum praedictum Decem dierum probaverit illum talem interfecisse ad sui corporis tutelam et defensam per duos idoneos Testes, qui deponant audivisse talem homicidam dixisse tribus vicibus illi tali, quem occiderit GUARDA, et quesiverit vitare mortem illius, ad praedictam poenam minime teneatur sed potius absolvatur, et liberetur: Et si in fortiam Communis non pervenerit, citetur ad Domum suae solitae habitationis cum uno Teste: Si vero esset Forensis citetur ad Portam Palatii Communis residentiae Dominis Potestatis per Preconem Communis, sive Bajulum publice et alta voce quod in terminum decem dierum debeat comparere coram Potestate ad se excusandum ab inquisitione contra eum formata occasione talis malefitii, nominando ipsum malefitium, et nihilominus cedulam continentem tenorem inquisitionis formatae contra illum talem, cum termino ad se excusandum ab inquisitione praedicta affixam in Porta Castri praedicti seu Palatii dicti Communis, adeo quod unicuique pateat evidenter: Et si talis citatus comparuerit, et se excusaverit et excusari voluerit ab inquisitione contra eum formata, audiatur

et scribatur sua excusatio, et detineatur, et custodiatur in Carceribus dicti Communis, adeo quod fugam non possit arripere, donec veritas talis commissi malefitii fuerit reperta, et si legitime probaverit infra terminum dictum maleficium non commisisse, aut ad sui corporis defensam fecisse, ut predicitur, ad absolutionem modo praedicto procedatur: Si vero contra eum probatum fuerit puniatur ut supra dictum est: Si vero in dicto termino non comparaverit, sed contumax fuerit, elapso dicto termino de dicto Castro, et eius districtu exbanniatur, et condemnetur, adeo quod si ullo unquam tempore in fortiam dicti Communis pervenerit poena capitis praedicta puniatur: Et omnia sua bona mobilia et immobilia Camerario Communis de facto elapso termino applicentur: Et idem intelligatur si quis Mulierem interfecerit, vel Mulier aliqua aliquem Virum vel aliam Mulierem interfecerit.

DE RAPTO MULIERUM, et ADULTERIO, INCESTU, STUPRO ET FORNICATIONE

Cap. VII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis Mulierem nuptam, Virginem, vel Viduam bonae famae violenter, seu

RAPTUS VIRGINUM

per vim carnaliter cognoverit poena capites puniatur: Et si vero quis stuprum cum puero, sive peccatum commiserit SODOMITICUM, si fuerit major Decem Octo Annis poena a legibus statuta puniatur: Si quis vero nuptam Mulierem invito Marito libidinis causa retinuerit poena Centum Florenorum condemnetur: Et si Mulierem aliquam carnaliter cognoverit, et non retinuerit Viginti Quinque Florenorum Auri

poena condamnetur.

DE POENA FURTI

Cap. VIII.

Item Statuerunt et ordinaverunt, quod si quis alicui rem aliquam valoris Viginti Solidorum, vel ab inde infra, furto subtraxerit, condemnetur pro primo furto in Libris Decem Denariorum: A Viginti vero Solidis supra usque in Centum Solidis si quis furatus fuerit, pro primo furto in Viginti Quinque Libris Denariorum condemnetur, pro secundo in Duplum et nihilominus pro quacumque quantitate, quam fuerit pro secundo furto FUSTIGETUR per Castrum Gualdi, et hoc facto detrudatur in Carceribus Communis, de quibus non relaxetur, donec condemnationem de eo facto solverit, qua soluta relaxatur: Et si talem condemnationem solvere non poterit, detineatur........ dictis Carceribus per unum Mensem, et deinde liberetur et expellatur a Territorio Gualdi. Si vero a dicta quantitate Centum Solidorum, et supra, quis furatus fuerit, aut rem alteri furto subtraxerit usque in omnem quantitatem, et summam, pro primo furto in Centum Libris Denariorum condemnetur, pro secundo vero poena dupli puniatur, et nihilominus SIGILLETUR IN FRONTE cum ferro igneo sculto ad arma Communis Gualdi praedicti in Platea Communis Gualdi, et per dictum Castrum fustigetur, deinde in Carceribus reponatur, et custodiatur, donec condemnationem de eo factam solverit, et si talem condemnationem solvere non poterit, detineatur in dictis Carceribus sex Mensibus continuis, et postea liberetur, et expellatur de Castro Gualdi, et eius districtu

nec ullo usquam tempore possit ad dictum Castrum reverti, nisi primo solverit condemnationem praedictam. Si quis vero tria furta aut plura commiserit in Castro Gualdi, vel districtu eius, aut alibi, dummodo ultimum commiserit in Castro vel Territorio praedictis in quacumque summa vel quantitate fuerit seu furta fuerint, FURCIS LAQUEO suspendatur, adeo quod anima de eius corpore separaretur, et in quolibet casuum praedictorum talis furans ad restitutionem, et satisfactionem rei furatae aut furto subtractae teneatur, possit furans redimere fustigationem, et bullationem solvendo poenam duplicatam infra terminum unius Mensis.

DE PRODITORIBUS, ET POENA PRODICTIONEM COMMITTENTIUM

Cap. IX.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis contra Comune Gualdi presentemque statum pacificum et tranquillum, ac contra libertatem Ecclesiasticam aliquem tractatum seu proditionem fecerit, dando alicui damno, vel magnati dominium Castri praedicti, seu Gentem in mittendo, seu conducendo, vel congregando intus Castrum praedictum, vel eius districtum, contra voluntatem dicti Comunis et Populare Statum Castri praediti proditionem commiserit, propter quam Castrum praedictum, seu Particulares personae ad subjectionem, et libertatis privationem modo aliquo pervenire possent, poena irremissibili capitis puniatur

DE VERBIS INJURIOSIS ET REINPROPERATIS

Cap. X.

Item statuerunt et ordinaverunt quod si aliqua persona
VERBA INJURIOSA reinproperavit alicui alteri personae aliquam injuriam fac-

tam seu illatam sibi in eius persona, vel persona Patris, Matris, Filii, Fratris, Sororis, Patrui vel Nepotis nominando, seu declarando injuriam, pro qualibet vice in Decem Libris Denariorum condemnetur: Si vero dixerit "TU SEI UNTRISTO, FIGLIOLO DI PUTTANA, vel similia verba, seu aliqua alia verba injuriosa, pro qualibet vice, et quolibet verbo in Viginti Solidis Denariorum condemnetur: Exceptis publicis Meretricibus, quibus si dicta essent...... verba injuriosa, seu inter se vel aliquibus hominibus aliqua .... non teneatur ad poenam. Si vero Meretrix, vel aliqua mala Mulier alicui bonae et honestae Mulieri aliquod verbum injuriosum dixerit, pro qualibet vice, et quolibet verbo in Quadraginta Solidis Denariorum condemnetur: Et si dictam poenam solvere non poterit, exbaniatur de Castro Gualdi et eius districtu, de quo banno exire non possit, nisi primo dictam poenam cum effectu solverit.

QUOD NULLUS TURBET ALIQUEM IN ALIQUA TENUTA, SEU POSSESSIONE

Cap. XI.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis turbaverit, seu molestaverit aliquem in tenuta, seu possessionem alicujus rei, quam possideret auctoritate Curiae, tam ex primo, quam ex secundo Decreto, pro qualibet vice puniatur in Centum Solidis Denariorum, cujus poenae medietas sit Comunis Gualdi, et alia medietas illius, qui in tali tenuta molestaretur, vel turbaretur: Si quis vero sua propria auctoritate, vel temeritate intraverit tenutam bonorum alicujus, in decem Libris Denariorum vice qualibet puniatur, et in refectione expensarum, et in relaxatione tenutae Domino rei condem-

netur.

netur: Si quis vero acceperit tenutam de aliqua terra, seu possessione, quam aliquis haberet ad laboritium, liceat ei ipsi, qui habet ad laboritium ipsam terram laborare, donec laboritium completum fuerit secundum consuetudinem Contratae dummodo de fructibus respondeat illi, qui dictam terram haberet in tenutam.

DE POENA OFFENDENTIUM

POTESTATEM, DEFENSORES, CANCELLARIUM, CAMERARIUM ET

ALIOS OFFICIALES DICTI COMUNIS

Cap. XII.

Item statuerunt et ordinaverunt quod quicumque de Castro Gualdi commiserit aliquod malefitium, vel delictum dicto vel facto in personam Potestatis, Defensorum, Cancellarii ac Camerarii, et cujuscumque Offitialis dicti Comunis jurisdictionem habentis pro Comuni tempore sui Offitii, seu Sindicatus, seu in personam alicujus Offitialis ipsius, vel familiaris condemnetur in duplo eius, quo condemnari deberet ex forma Statuti loquentis de tali malefitio, si Terrigenam vel Districtualem dicti Castri offendisset, de quo ipse Potestas cognoscere possit, et contra delinquentes procedere, punire et condemnare secundum formam Statuti dicti Comunis, et Iuris Comunis ubi Statuta non loquerentur, aliquo Capitulo Statuti non obstante, quod contrarium modo aliquo loqueretur, et quiquid cognoscendo, puniendo, condemnando factum fuerit, valeat et teneat: Forensis vero in duplo quam Terrigenae, si offenderet vice qualibet condemnetur, dummodo procedatur ....

.... praedicto.

DE POENA OFFENDENTIUM PARENTES ET ALIOS CONSANGUINEOS

Cap. XIII.

Item statuerunt ....

....

....

....

.... affinem ex recta linea usque in tertium gradum capiatur, et capi debeat per familiam Potestatis dicti Castri ad petitionem Iniurati, et in carceribus Comunis detineatur, donec de eo fiet condemnatio, et condemnetur in poenis in Statuto dicti Comunis de tali maleficio, vel delicto loquentis contentis, quam condemnationem cum effectu solvere teneatur.

DE POENA FORENSIS OFFENDENTIS TERRIGENAM VEL DISTRICTUALEM CASTRI GUALDI

Cap. XIV.

Item statuerunt et ordinaverunt quod si aliquis Forensis offenderet Terrigenam, vel Districtualem dicti Castri, seu iniuriam aliquam inferret dicto, vel facto in Castro Gualdi, vel eius districtu, condemnetur in duplum quantitatis contentae in Statuto loquente de tali maleficio inter homines de Gualdo commissum, quicumque vero de Castro vel districtu Gualdi tali offensioni, vel iniuriis interesset teneatur, et debeat talem offendentem capere, et in fortiam Comunis mittere: Si vero Terrigena ...... talem Forensem ad tale maleficium committendum associaret, seu auxilium, consilium vel favorem prestaret eadem poena puniatur: Quicumque vero talem Forensem maleficium committentem non ceperit, si presens fuerit, seu non impedierit, vel captum non represantaverit, in Decem Libris Denariorum comuni vice qualibet puniatur: Si vero tali Forensis intraret in aliqua domo de Gualdo, et in ea

receptaretur in Castro, seu Districti Gualdi ille cujus fuerit domus teneatur, et debeat illum talem Forensem capere, et captum ducere in fortiis Communis, qui .... contrafecerit in Decem Libris Denariorum condemnetur: Si vero aliquis de aliqua domo projecerit lapides, vel balistaverit, propter quod status pacifus dicti Castri turbaretur, vel periculum aliquo imminieret Communi, talis domus funditus destruatur: Et qui lapides projecerit, vel balistaverit in Quinquaginta Libris Denariorum condemnetur.

DE POENIS DUPLICANDIS

Cap. XV.

POENA DUPLI.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis commiserit aliquod maleficium dicto vel facto contra aliquam personam coram Potestate in die Pascatis Resurrectionis cum duobus diebus immediate sequentibus in die festo Nativitatis Domini cum duobus diebus sequentibus post dictum Pascate, in diebus Dominicalibus, in festivitatibus gloriosissimae semper Virginis Mariae, in Platea, et Palatio Communis Gualdi, in aliquo Consilio Speciali, sive Generali dicti Communis, in qualibet Ecclesia dicti Castri, in die Veneris Sancti, in festo Sancti Angeli de Mense Maji, et Sancti Antonii de Mense Septembris et de nocte .... campanae Communis Gualdi quae pulsatur de sero ...... primo sono .... dictum Castrum sine Lumine usque ad sonum Campanae Sancti Antonii, quae pulsatur de mane ad Laudem: in duplo eius quo condemnari deberet per formam Statuti dicti Communis, loquentis de tali malefitio condemnetur: Si vero aliquis Forensis offenderet dicto vel facto aliquem Terrigenam in

dictis locis de die vel de nocte in quatruplo dictarum poenarum vice qualibet puniatur, et in quolibet casuum praedictorum duplicatio sive quatruplicatio poenarum locum habeant in dictis casibus in Castro Gualdi tantum. In districtu vero dicti Castri locum habeat duplicatio, et quatruplicatio poenarum in malefitiis, injuriis, et offensis factis illatis, vel commissis coram Potestate de nocte, et in omnibus diebus supradictis.

QUOD NULLUS RUMPAT PACEM

Cap. XVI.

PAX. Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque fecerit cum aliqua persona talem pacem, perpetuo ratam et firmam teneat, et nullus contra pacem factam venire debeat, vel ipsam rumpere presumat, et qui contra fecerit ultra poenam contentam in Statuto Comunis, in Viginti Quinque Libris Denariorum comuni vice qualibet condemnetur.

DE OFFENSIS FACTIS AD DEFENTIONEM

Cap. XVII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliquis commiserit aliquod malefitium vel delictum in personam alicujus personae ad sui defensam, ad poenam aliquam minime teneatur, et intelligatur fecisse ad sui defensam, si ante commissum malefitium dixerit, contra quem malefitium commisit, et qui ipsum insultavit retrocedendo GUARDA, GUARDA tribus vicibus, et hoc probaverit per duos testes ad minus.

DE POENA MALEDICENTIUM, SEU BLASPHEMANTIUM DEUM, VEL SANCTOS EIUS

Cap. XVIII.

BLASPHEMA.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque maledixerit seu blasphemaverit omnipotentem Deum Dominum Nostrum Iesum Christum, et gloriosissimam semper Virginem Mariam, solvat nomine poenae Quinque Libras Denariorum pro qualibet et vice qualibet: Et similiter si per .... vulnerum Domini Nostri Iesu Christi, vel eius Matris quis in vilipendium nominaverit vel iuraverit poena Decem Solidorum vice qualibet puniatur: Si vero per corpus vel sanguinem, vel aliud membrum Domini, vel eius Matris quis iuraverit poena Quinque Solidorum pro qualibet vice puniatur: Si quis vero aliquem alium Sanctum, vel Sanctam Dei blasphemaverit, seu maledixerit, puniatur vice qualibet in Quatraginta Solidos Denariorum: Et si iuraverit per aliquam Sanctam vel Sanctum, aut aliud membrum puniatur in Quinque Solidis Denariorum: Si quis autem dixerit de .... Sia Dio, vel aliquo alio Sancto non aliter blasphemando, in Decem Solidis Denariorum puniatur: Et cuilibet sit licitum quemlibet delinquentem in praedictis denuntiare et accusare, et talis accusatio habeatur pro plena probatione in praedictis, et habeat talis accusans quartam partem dictarum poenarum, et eius nomen teneatur secretum.

DE POENA FOENERATORUM VEL FOENERANTIUM

Cap. XIX.

Item volentes extirpare pravam avaritiam Foeneratorum, et usuras exercentium, statuerunt et ordinaverunt pro bono statu dicti Comunis, quod nullus de Castro Gualdi, vel eius districtu

vel habitans in praedictis locis possit per se, vel alium aliquo quesito colore mutuare alicui ad usuras in Castro Gualdi, vel eius districtu, ad poenam Centum Librarum Denariorum pro qualibet vice, et nihilominus ad restitutionem pecuniae usurariae condemnetur, et constringatur. Et Potestas qui pro tempore fuerit, possit, teneatur, et debeat contra tales delinquentes per inquisitionem, denuntiationem, et accusationem procedere, et repertos culpabiles punire, et condemnare in poenis supra statutis, et ordinatis. Et cuilibet liceat accusare et habeat quartam partem dictae poenae, et eius nomen teneatur secretum. Volentes insuper, quod nullus Notarius de Castro Gualdi, ejusque districtus, vel aliunde in dicto Castro, et suo Territorio possit tales contractus usurarios conficere, nec ex tali usuraria contractatione possit rogari, neque testis aliquis presens interesse alicui mutuationi, seu contractationi praedictae, poena cuilibet contrafacienti Decem Librarum Denariorum, in qua debeat condemnari, et ad praedicta probanda sufficiat dictum duorum testium deponentium de visu.

DE POENA LUDENTIUM AD TAXILLOS VEL ALIOS LUDOS VETITOS

Cap. XX.

POENA LUDI

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nulla persona in Castro Gualdi, vel eius districtu audeat vel presumat ludere ad aliquem ludum Taxillorum, Lapiorum, Lumaghettarum, vel similium, in quo ludo vincatur vel perdatur Denarium, et qui contrafecerit, solvat vice qualibet Libras Tres Denariorum, si de nocte duplum. Si vero in aliqua domo fieret talis ludus sciente, consentiente Domi-

no, et Patrono ipsius domus, sive conductore, et eiusdem habitatore, dictus Dominus, sive conductor, et habitator dictae domus dicta poena puniatur, et cuilibet sit licitum denuntiare, et accusare contraffacientes, et habeat quartam partem banni, et eius nomen teneatur secretum, cuius denuntiationi stetur, cum Sacramento unius Testis bonae famae: Teneatur etiam Potestas inquirere et investigare, et stetur et credatur inventioni per ipsum Potestatem factae absque aliqua probatione, et repertos culpabiles punire in dictis poenis, quarum poenarum quarta pars sit Potestatis, qui invenirit ludentes per inventionem, sive per inquisitionem, et executionem fecerit, et alia quarta accusatoris, et aliae duae partes sint Communis: Potestas vero dicti Communis non ludat ad aliquem ludum praedictorum cum aliquo Castellano dicti Castri, nec aliquis Castellanus, ad poenam Viginti Solidorum pro quolibet, et vice qualibet: Volentes etiam, quod nullus de Castro Gualdi audeat vel presumat ludere ad ludum Aliearum vel Chartarum, in quo Danari vincantur, vel perdantur, ad poenam Viginti Solidorum pro quolibet, et vice qualibet de die, si de nocte duplum.

QUOD POTESTAS POSSIT PONERE MALEFACTOREM AD TORTURAM, CONTRA QUEM PROBARETUR DELICTUM PER UNUM TESTEM DE VISU

Cap. XXI.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis commiserit aliquod malefitium, vel delictum in Castro Gualdi, vel eius destrictu, et tale malefitium probatum fuerit per unum testem de visu, et bonae famae, quod Potestas possit, teneatur, et debeat illum talem, contra quem probatum esset, cogere et compellere

ad confitendum tale malefitium, vel delictum, aliquo capitulo, vel jure in contrarium non obstante: Si vero ille talis contra quem, ut dictum est, malefitium probatum fuerit venire recusaverit coram Potestate, habeatur pro legitime confesso, et convicto, et sufficiat solummodo probatio unius Testis ut supra: Et si fidejussores non dederit, exbanniatur de Castro Gualdi et eius districtu, donec comparuerit, et fidejussores dederit, alias remaneat exbannitus elapso termino in dicto banno assignato: Et tunc Potestas possit ad condemnationem procedi contra dictum talem, eius contumacia non obstante.

DE POENA EXTRAHENTIUM TERMINOS, ET MITTANTIUM PROPRIA TEMERITATE

Cap. XXII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nulla persona de Castro Gualdi, vel eius districtu audeat, vel presumat aliquem Terminum extrahere, et si quis propria auctoritate, seu temeritate, et sine licentia Offitialis, et convicini extraxerit, seu amoverit aliquem terminum, vel terminos, vel Sennaytam inter possessionem suam, et possessione alterius convicini suae possessionis, in Centum Solidis Denariorum condemnetur, et nihilominus talis terminus, vel Sennayta sic amotus, vel amota, in statu pristino reponatur: Item eadem poena puniatur si quis aliquem terminum imiserit auctoritate propria, absque licentia Potestatis, et requisitione talis convicini possessionis: Quicumque vero inter possessionem suam et possessionem sui convicini, quae possessiones contiguae essent, et inter eas non essent termini, vel Sennaytae inter

foveam, murum, vel sepem, seu inter ipsas possessiones essent aliquos arbores, et nescirentur in cujus possessione essent, et amoverentur, sive inciderentur sine licentia sui convicini, vel antequam inter eos, esset de terminis et sennaytis diffinitum, eadem poena puniatur, et damnum emendet passo. Dicentes etiam, quod nulla persona laboret prope aliquem terminum, sive sannaitam ad pedem manus, ad poenam quatraginta Solidorum Denariorum pro quolibet et qualibet vice, si manualiter laboraverit tantum, si cum Bobus non teneatur ad poenam.

QUOD NULLUS CONTENDAT DE PARTIBUS

Cap. XXIII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nulla persona de Castro Gualdi, vel eius districtu, aut aliunde tantae temeritatis existat, quod in dicto Castro, vel eius districtu audeat vel presumat contendere, seu contentionem facere, clamorem, vel rumorem de parte, seu occasione partis Guelfae, vel Gebellinae, et qui contrafecerit nominando partem aliquam praedictarum, in Quatraginta Solidis Denariorum vice qualibet puniatur, quam poenam Potestas a contrafaciente auferre teneatur de facto: Et cuilibet sit licitum contrafacientes denuntiare, et accusare, et habeat quartam partem banni, et nomen eius teneatur secreto.

DE POENA PORTANTIUM ARMA

Cap. XXIV.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nullus per Castrum Gualdi portet, vel portare valeat publice, vel occulte Cultellum malitiosum, seu feritorium, ENSEM, SPONTONEM,

LANCIAM, seu Mannariam, vel aliquod aliud genus armarum offendibilium, vel defendibilium, praeter quam tempore rumoris, et qui contrafecerit, si de die in Quatraginta Solidis Denariorum puniatur. Si vero de nocte in duplum vice qualibet puniatur pro quolibet genere Armorum: Pro quolibet vero genere armorum defendibilium in dimidium dictae poenae: Pro quadrellicto vero Passatorio in Quinque Libris Denariorum puniatur: Si quis vero inventus fuerit portare Cultellum cum puncta longitudinis unius palmi computando manico, de facto puniatur in Viginti Solidis Denariorum, et puncta dicti Cultelli rumpatur: Liceat tamen unicuique in eundo, vel redeundo extra Castrum Gualdi portare arma offendibilia, dummodo palam ligatam portet, sive cum impizza Castellani vero possint impune arma et ferramenta quaecumque portare sine impizza, et non ligata a domo propria per rectum iter ad januam Communis, et redire ab extra ad propriam domum per Castrum cum ferramentis aptis ad laborandum, et exercendum artem Lignaminis: Et Potestas vadat saepe saepius pro dictis armis inveniendis quotiens opus fuerit, et sibi videbitur, de quorum armorum inventione stetur, et credatur relationi suae: Et nihilominus sit cuilibet licitum accusare et denuntiare contrafacientes, et eius nomen teneatur secretum, et habeat quartam partem banni in omnibus supradictis casibus, de nocte poena duplicetur

DE POENA PROIJCENTIUM LAPIDES AD DOMUM ALTERIUS

Cap. XXV.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nulla persona de Castro Gualdi, vel eius destrictu, sive aliunde audeat modo aliquo, vel quesito colore proijcere aliquem lapidem, vel lapides ad domum alicujus, ad poenam Quatraginta Solidorum Denariorum pro quolibet et qualibet vice: Et liceat cuilibet contrafacientes denuntiare et accusare, et habeat quartam partem banni.

DE POENA NON PROBANTIS ACCUSAM

Cap. XXVI.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque accusaverit aliquam personam de aliquo maleficio, et non probaverit ipsam accusationem, puniatur eadem poena, qua puniendus esset ille, quem accusaverit, si maleficium de quo accusavit non probasset.

DE POENA INTRANTIS, VEL EXEUNTIS ALIUNDE QUAM PER PORTAM CASTRI GUALDI

Cap. XXVII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nulla persona de Castro Gualdi, vel eius destrictu, aut aliunde audeat, vel presumat intrare dictum Castrum, vel exire aliunde quam per portam ipsius Castri, ad poenam Viginti Quinque Librarum Denariorum, si fuerit de die, si de nocte poena duplicetur: Et cuilibet liceat accusare, et denuntiare contrafacientes, et eius accusationi credatur cum uno Teste bonae famae, et fide digno

VIDE Etiam LIBER. V. Cap. XIII.

et eius nomen teneatur secretum, et habeat quartam partem banni.

DE POENA FACIENTIUM CONGREGATIONEM ET ADUNANTIAM

Cap. XXVIII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nulla persona faciat adunantiam, seu Congregationem aliquam vel in ipsa esse, vel stare publice, vel occulte, in qua fiat aliquid, vel tractetur de Offitio, vel statu dicti Castri, sine licentia previa et consensu Dominorum Defensorum et Officialium dicti Castri, ad poenam Decem Librarum Denariorum pro quolibet et qualibet vice, cujus poenae medietas sit Comunis Gualdi, et alia medietas sit Camerae Romanae Ecclesiae.

DE COGENDIS INIMICIS AD FACIENDAM PACEM

Cap. XXIX.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si inter aliquas personas Castri Gualdi esset inimicitia, odium, sive discordia, seu in posterum orietur aliqua occasione, vel causa, Potestas dicti Castri, qui pro tempore fuerit, teneatur, et debeat, etiam pro posse compellere tales personas discordes, seu inimicas in Palatio dicti Comunis, et alibi prout sibi videbitur, et si accusaverint facere pacem .... facere. Et quicumque noluerit Potestati obedire, de facto cogatur solvere Quinque Libras Denariorum nomine poenae, et si nihilominus pacem facere compellatur: Et si Potestas, quando fuerit requisitus, fuerit negligens in praedictis, solvat de suo Salario Quinque Libras Denariorum.

De poena exeuntis de carceribus sine dominis Potestatis et Cancellarii

Cap. XXX.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis missus fuerit in Carceribus Comunis, seu in ipsis Carceribus detineatur mandato Domini Potestatis, seu Cancellarii dicti Castri pro aliquo malefitio, excessu, vel delicto, seu damno dato, vel alia quacumque causa, et ille talis detentus de dictis Carceribus exiret, et carceres frangeret sine licentia Domini Potestatis, vel Cancellarii, solvat nomine poenae Viginti Quinque Libras Denariorum: Et si aliqua pars Palatii sive Cancellariae per supradictum Dominum Potestatem, vel Cancellarium assignaretur alicui pro carcere, et praeciperetur eidem, quod ex ea non discedat, si talis discederet absque licentia praedictorum Potestatis et Cancellarii in dictam poenam Viginti Quinque Librarum incurrat pro qualibet vice, ac si fregisset carceres reputeretur, de facto contrafacienti auferendam: Et si quis a dictis Carceribus exiret culpa seu defectu Potestatis, vel Cancellarii, teneantur solvere totum illud, ad quod teneretur talis carceratus aufugiens.

Poena discendentis de Palatio sine licentia Potestatis

De poena non solventis condemnationem infra decem dies

Cap. XXXI

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque fuerit condemnatus per Potestatem Comunis Gualdi de aliquo, seu pro aliquo malefitio, excessu, vel delicto, solvere teneatur et debeat condemnationem suam infra decem dies a die latae Sententiae computandos, et quicumque infra dictum terminum non solverit, solvat, et solvere teneatur quarto pluris eius in quo fuerit condemnatus, et aliter eius condemnatio non cancelletur: Et si Potestas in praedictis fuerit negligens seu

Non solvens poenam infra decem dies, solvat quartam

aliter solvi faceret, in Decem Libris Denariorum vice qualibet de suo salario condemnetur.

QUOD CONDEMNATIONES A QUINQUE ANNIS RETRO DEBEANT PER POTESTATEM EXEQUI

Cap. XXXII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Potestas dicti Castri qui pro tempore fuerit, teneatur, et debeat vinculo juramenti, et ad poenam Decem Librarum Denariorum de suo salario excomputandorum, si secus fecerit exigere cum effectu modis omnibus, quibus poterit omnes et singulas condemnationes factas a Quinque Annis citra in quibus essent fidejussores dati, et alias si de bonis condemnatorum reperiatur, et condemnationes non exactae in suo salario debeant compensari, si aliquo modo dictae condemnationes.......... alias non.

DE POENA ACCIPIENTIUM PEDAGIUM IN DISTRICTU GUALDI

Cap. XXXIII.

Item statuerunt et ordinaverunt quod nulla persona de Castro Gualdi, vel eius districtu, vel aliunde audeat, vel presumat in Castro Gualdi, vel eius districtu Pedagium alicui personae accipere, vel accipi facere, et qui contrafecerit in Decem Libris Denariorum condemnetur si infra tres dies proxime secuturos dictum Pedagium non restituerit Cassagerio. Et quicumque illum talem associaverit, seu auxilium, consilium, et favorem prestiterit eidem in accipiendo Pedagium praedictum, eadem poena puniatur, et totum illud quod acceperit restituere

teneatur dicto Camporio infra dictum terminum dierum, ut supra dictum est.

DE POENA ACCEPTANTIUM, ET ASSOCIANTIUM EXBANNITOS, ET MALEFITIA COMMITTENTES

Cap. XXXIV.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nulla persona de Castro Gualdi, vel eius districtu audeat, vel presumat receptare nec stare vel morari permittet in domo propria vel conducta, seu gratis concessa aliquem exbannitum Comunis Gualdi pro aliquo malefitio, et qui contrafecerit in Decem Libris Denariorum pro quolibet exbannito recepto, et vice qualibet puniatur. Et si aliquis aliquem exbannitum dicti Comunis associaverit per dictum Castrum, vel eius Territorium, aut cum eo comederet vel biberet solvat nomine poenae Viginti Quinque Libras Denariorum pro quolibet exbannito, et vice qualibet: Et cuilibet personae sit licitum quoscumque exbannitos dicti Comunis capere, et in fortiam dicti Comunis ducere, mittere: Et si quis exbannitus non permitteret se capi, liceat cuique eum impune offendere: Et cuilibet personae sit licitum contrafacientes in praedictis, et quolibet praedictorum accusare et denuntiare contrafacientes et habeat quartam partem banni, et eius nomen teneatur secretum, et eius denuntiationi credatur, cum uno teste bonae famae ad probandum: Dicentes etiam quod quicumque associaverit aliquem ad comittendum aliquod malefitium in Castro Gualdi, vel eius districtu, seu ad tale malefitium committendum auxilium, vel favorem

dederit in dimidia poena, in qua principalis delinquens, seu malefitium committens, secundum formam Statutorum loquenti de talis malefiiis puniri debeat, et penitus condemnetur.

DE MODO PROCEDENDI, ET SERVANDO
QUANDO GENS TRANSIRET PER TERRITORIUM CASTRI GUALDI
Cap. XXXV.

Item statuerunt et ordinaverunt quod si quo tempore Gens aliqua veniret versus Castrum Gualdi, pro cujus adventu Status pacificus dicti Castri quomodolibet turbaretur, seu turbari posset, omnes et singuli homines locorum per quae tali Gens transitum faceret, teneantur et debeant gridare, et rumorem elevare, ita quod homines Castri Gualdi sentiant rumorem, et possint se defendere, et dictam gentem pro posse capere et ei obviare, si vero quis contrafecerit, in Viginti Quinque Libris Denariorum condemnetur.

DE PUBBLICIS RAPINIS
Cap. XXXVI.

Item statuerunt et ordinaverunt quia nisi Justitiae rigor malorum rabiem refrenaret, effrenus quilibet suis nequitiis raptum ivi contra nimis potentem publice niteretur volentes itaque malis hujusmodi aequam adhibere medelam, hac presenti lege firmamus, quod si quis tantae temeritatis extiterit, qui alicui rem valoris, et extimationis Decem Solidorum, vel ab inde, quam raptu publico abstulerit, vel derobbaverit in poenam Decem Librarum condemnetur: Et nihilominus ad restitutionem rei derobba-

dae cogatur et compellatur. Et ab inde vero supra si quis derobbaverit, vel publice abstulerit, per gulam furcis et laqueo, ut publicus raptor penitus suspendatur.

DE POENA COMMITTENTIUM ASSASSINATIONEM.

Cap. XXXVII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis ad intentionem alicujus lucri causa maleficium aliquod commiserit contra aliquem poena dupli puniatur, in qua puniendus esset, si ex se ipso maleficium commisisset: Et si homicidium in tali assassinatione commiserit, ad caudam Asinae extrascineretur usque ad locum justitiae, et ibi laqueo suspendatur: et eadem poena punire volunt illum, ad cujus intentionem aliquis assassinatus fuerit, sive mortuus.

DE POENA COMMITTENTIUM INCENDIUM.

Cap. XXXVIII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliquis in Castro Gualdi, vel eius Territorio, cujuscumque status, vel conditionis existat, studiose vel appensate, aut per inadvertentiam incendium aliquod commiserit in eadem aliquam, et Casinam seu Capannam combusserit, seu igneis flammis tradiderit, ex quo domus, vel capanna in totum, vel in partem consumpta fuerit, poena Centum Librarum Denariorum condemnetur. Si vero per inadvertentiam et non studiose, teneatur tantum ad emendationem damni: Et similiter dicimus de domo per inadvertentiam combusta quam condemnationem si solvere non poterit, detineatur in Carceribus dicti Co-

munis per annum, et deinde per Castrum Gualdi fustigetur, et expellatur de Castro, et Territorio praedicto.

DE CONDEMNATIONIBUS DUPLICITER SCRIBENDIS

Cap. XXXIX.

Item volentes condemnatorum, et aliorum quorumcumque maleficiis obviare, ad hoc ut eorum condemnationes nullo modo valeant occultari, presenti lege statuerunt, et ordinaverunt. Ad hoc ut malefitia non transeant impunita, quod Potestas Castri Gualdi, qui pro tempore fuerit vinculo juramenti ad poenam Decem Librarum Denariorum de suo Salario, teneatur, et debeat omnes condemnationes, et sententias criminales per ipsum ferendas, facere duplicatas, et ipsas sententias, et condemnationes in duobus libris similes et concordes scribere, et scribi facere, ita quod eis nullus error appareat, vel reperiri possit, quas condemnationes Potestas, qui pro tempore fuerit, debeat legere pulsata Campana Comunis, secundum consuetudinem hactenus consuetam: Et quorum Librorum unus legatur per Potestatem, et penes ipsum maneat, et alter auscultetur per Cancellarium dicti Comunis, et penes ipsum Cancellarium remaneat in Cancellaria Comunis, quem nemini dare debeat sine licentia Defensorum dicti Castri: Et quod dictae condemnationes cancellentur per Cancellarium dicti Comunis, et non per Potestatem, factis prius solutionibus ipsarum Camerario dicti Comunis: Dicentes etiam, quod Potestas dicti Castri durante suo officio non possit nec debeat

de aliquibus, quas fecerit in Comuni, tam de Scripturis Comunis, quam etiam Spetialium Personarum aliquid recipere ab aliqua persona, omnes vero Scripturae, quae ad eius Officium quomodolibet pervenerint, vel spectaverint, debeat in eius libro ordinate scribere, et mittere clare, aperte, et distincte tam in civilibus, quam in criminalibus causis et tam in Scripturis Comunis, quam etiam Spetialium personarum, sine aliquo pretio, vel Salario recipiendo exinde, ad poenam Quinque Librarum Denariorum de suo Salario retinendarum.

QUOD QUILIBET TEMPORE RUMORIS PULSANTE CAMPANA COMUNIS AD MARTELLUM DEBEAT ARMATUS SE CORAM DOMINO POTESTATE ET DEFENSORIBUS PRESENTARE

Cap. XL.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque casus accideret, quod Campana Comunis Gualdi pulsaretur ad martellum occasione alicuius rumoris, quod absit, pro subcursu habendo, quod omnes et singuli homines dicti Castri, et eius districtus a quatuordecim annis supra, armati cum omnibus eorum armis, accedere et venire teneantur, et coram Domino Potestate et Dominis Defensoribus dicti Castri presentari, et eisdem obedire in omnibus, quae eis praeceperit pro conservatione status pacifici dicti Castri: Et qui contrafecerit non obediendo in his, quae praeceperit Potestas et Defensores in Quatraginta Libris Denariorum Comuni Gualdi pro quolibet et qualibet vice puniatur. Et si per Potestatem, aut aliquem alium Officialem occasione praedicta mandaretur alicui, quod dictam Campanam pulsaret, et

ille tali hoc facere recusaret, in eadem poena puniatur: Et eadem poena teneatur quicumque aliquod impedimentum praestiterit in praedictis. Et si quis sonaverit Campanam ad martellum sine licentia Potestatis et Defensorum incurrat poenam Viginti Quinque Librarum Denariorum.

QUOD MULIERES RECIPIANTUR IN TESTIMONIUM A DUODECIM ANNIS SUPRA, ET SIMILITER MASCULI

Cap. XLI.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Mulieres bonae conditionis, et famae admittantur et recipiantur, et admitti et recipi debeant deinceps in Curia Castri Gualdi per Potestatem dicti Castri in Criminalibus ad testimonium perhibendum, uti admittantur Masculi bonae conditionis, et famae, lege aliqua non obstante, et praedicta locum habeant tam in Mulieribus, quam in Masculis majoribus Duodecim Annis, et non minoribus. –

DE POENA PERIURIJ.

Cap. XLII.

PERIURIJ.

Item ad auferendum materiam, ne quis se suamque animam crimine periurii .... intercurrat, statuerunt et ordinaverunt quod quicumque tantae temeritatis existeret qui corporali habito Sacramento manu tactis Scripturis ad delationem Potestatis, seu Cancellarii, et alterius cujuscumque Officialis dicti Castri, veritatem falsam esse dixerit, vel negaverit, et falsum pro veritate probare praesumpserit in Civilibus, et Criminalibus causis et aliis quibuscumque, et sibi per duos Testes idoneos et fide dignos, vel per publicum Documentum contrarium fuerit reprobatum, in poenam

Centum Solidorum incurrere volunt, quam de facto Potestas sive Cancellarius exigere teneatur, nullo sibi beneficio reservato.

DE NON AEDIFICANDO ALIQUOD FORTILITIUM, SIVE OPPIDUM IN TERRITORIO CASTRI GUALDI

Cap. XLIII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nullus cujuscumque conditionis, vel status existat, si tantae temeritatis, quod suo temerario motu audeat vel presumat modo aliquo, vel quovumque quesito colore fabricare, vel aedificare facere in Territorio Gualdi, et destrictu ejus aliquod Fortellitium, seu Oppidum et qui contrafecerit condemnetur, et condemnari debeat per Potestatem in Quingentis Libris Denariorum pro quolibet contrafaciente, et vice qualibet et nihilominus Commune praedicti Castri Gualdi, si quid constructum fuerit, vel aedificatum occasione dicti Fortellitii, vel Oppidi in dicto destrictu, debeat de facto funditus evellere et ad ruinam ponere: Et si talis qui construxerit seu construere ceperit dictum Fortellitium vel Oppidum non fuerit abilis ad solvendum condemnationem de eo factam, seu cogi non poterit per eumdem Dominum Potestatem, vigore et auctoritate presentis Statuti banniatur, et in banno ponatur de Communi praedicto, adeo quod si ullo unquam tempore in fortiam dicti Communis pervenerit, in carceribus detrudatur, de quibus non relaxetur donec dictam condemnationem de eo factam solverit et satisfecerit nisi secus, vel aliud in Generali Consilio totius Communis et hominum dicti Castri fuerit deliberatum pro evidenti utilitate et bono dicti Communis ac obtentum per duas partes hominum in dicto Consilio Generali existentium.

LIBER

QUARTUS

INCIPIT

QUARTUS LIBER EXTRAORDINARIORUM

DE LAMPADIBUS ACCENDENDIS IN PALATIO COMUNIS

Cap. I.

Volentes Saluti, et Statui pacifico Castri Gualdi salubriter providere, ad hoc ut hujus Castri Populus in cunctis petitionibus suis, et supplicibus orationibus voti compos officiatur, ad honorem omnipotenti Dei, et gloriosissimae Mariae semper Virginis statuerunt et ordinaverunt, quod quilibet Camerarius Comunis Castri praedicti, qui pro tempore fuerit, teneatur et debeat toto tempore sui Offitii expensis Comunis providere quod Lampas existens in Cappella Palatii Comunis ante figuram prefatae gloriosissimae Virginis continue noctis tempore stet accensa, ad poenam Quinque Solidorum Denariorum de facto Camerario praedicto auferendorum pro qualibet vice, qua contrafecerit.

DE POENA EUNTIS POST TERTIUM SONUM CAMPANAE

Cap. II.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nulla persona audeat, vel presumat ire de nocte per Castrum Gualdi post tertium sonum Campanae Comunis quae pulsatur de sero sine lumine, absque licentia Potestatis dicti Castri ad poenam Quinque Solidorum Denariorum a contrafaciente de facto auferendorum: Exceptis personis et hominibus malae conditionis vitae et famae, qui, vel quae cum lumine vel sine ire non possint. Et si invenirentur ducantur ad Palatium dicti Comunis, et ibi detineantur, et non relaxentur donec mane publice banditum fuerit in Scalis Palatii Comunis, et per Castrum Gualdi, quod si alicui aliquid ipsa nocte fuerit furtive

subtractum compareat coram Potestate, et si aliter non probaretur, presumatur ipsos tales homines, et personas tale furtum commisisse de quo puniri debeant, et nihilominus compellantur de facto ad emendationem dicti furti et ad solvendum poenam pro tali inventione: Et donec omnia praedicta fiant nullo modo debeat relassari: cuilibet tamen personae bonae famae licitum sit de nocte stare extra domum suam et prope ipsam domum per tres domos cum lumine, sive igne apparenti, et aliter non ad poenam praedictam.

DE MODO ET ORDINE RENOVANDI CAPITDECINAS, ET DE POENA CUSTODUM OMITTENTIUM FACERE CUSTODIAM

Cap. III.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod per Dominos Defensores, et Consilium Spetiale dicti Castri eligantur duo Boni Homines de dicto Castro quotiescumque fuerit necessarium, et oportunum, qui sic electi habeant renovare Caputdecinas Custodum dicti Castri, et in ipsis Caputdecinis ponere et addere omnes et singulos homines a quatuordecim anni supra, de quorum aetate stetur, et plena fides adhibeatur juramento Parentum, vel proximorum Consanguineorum deficientibus Parentibus: Et quicumque fuerit scriptus, et positus in Libro Custodum dicti Castri, teneatur et debeat facere custodiam diurnam et nocturnam: quicumque vero dictam custodiam facere neglexerit puniatur per Potestatem pro qualibet vice qua de die repertus non facere custodiam in sex Denarios: Si vero de nocte post

sonum Campanae, quae pulsatur de sero pro Custodibus in Denarios duodecim pro custodia vero diurna omissa et non facta puniatur poena Quinque Solidorum, pro custodia vero nocturna non facta in duplo puniatur: Et hoc locum habeat si talis omittens steterit in Castro Gualdi et eius districtu, et si extra dictum districtum steterit, pro qualibet custodia non facta tam diurna, quam nocturna si ad minus uno Mense steterit in Solidis quatuor puniatur, si per unum Mensem, vel ultra steterit, solvat pro qualibet mense Bononenos tres: Si quis autem nocturno tempore ad custodiam iverit, et portas Custodum, et inde absque licentia Potestatis ante sonum Campanae, quae pulsatur de mane recesserit, in Viginti Solidis Denariorum puniatur: Si vero ad dictas portas repertus fuerit dormire, et ad Portas, solvat pro qualibet vice Denarios sex.

QUOD SEPTUAGENARIJ NON TENEANTUR AD OBSEQUIA PERSONALIA

Cap. IV.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque peteret se levari de custodia, et aliis obsequiis personalibus et juraverit ad Sancta Dei Evangelia se esse aetatis septuaginta annorum, vel plurium per Potestatem cassetur de Libro Custodum et de cetero non gravetur ad dictam custodiam faciendam, neque ad alia obsequia personalia in dicto Comuni prestanda.

DE MENSURIS ADIUSTANDIS, ET SIGILLANDIS

Cap. V.

Item statuerunt et ordinaverunt quod omnes et singulae Mensurae Grani, Vini, Olei, Salis, Bilanciae etiam, et Pondera ac Statera, cum quibus aliquid venditur, seu venderetur ad minutum in Castro seu districtu Gualdi adjustari debeant ad pondus, et mensuram Spoleti, quae Mensurae fieri debeant, et haberi in Communi praedicto expensis Communis praedicti, ad quas reliquae mensurae, pondera, et vasa debeant adjustari, et sigillari Sigillo Communis, vel Rectoris cujuslibet cum cera in una cannutia appensa manico Vasis cum aliquis vendere voluerit Vinum, Oleum, aut Mel ad minutum. Bilanciae vero, Pondera et Statera ut supra, adjustari debeant ut supra, et revideri semel singulis duobus Mensibus. Et ad hoc ut melius praedicta fiant, et cunctis innotescant, Potestas, vel qui pro tempore fuerit semel singulis duobus mensibus bannum faciat per Castrum Gualdi, quod quilibet vendens Carnes, Vinum, Sal, vel aliud ad minutum ad pondus, vel mensuram, debeat infra octo dies a die bannimenti dicto Potestati deferre, et apportare Bilancias, Pondera, Statera, et alias quascumque mensuras, et adjustari facere et sigillari cum Sigillo ad Arma Communis, et Rectoris, et Potestas infra unum mensem fieri faciat bullectam, seu stampam ad Arma Communis, vel Rectoris expensis Communis, cum quibus sigillari possint praedicta. Quicumque vero repertus fuerit vendere aliquid cum bilanciis, ponderibus, Stateris, Vasis et aliis quibuscumque Mensuris non adjustatis, vel sigillatis, ut praemittitur, poena

Decem Solidorum pro qualibet vice, et quolibet pondere vel mensura de facto puniatur: Quicumque autem vendiderit Vinum ad minutum, habere debeat, et tenere in eius Taberna Peticum, medium Peticum, tertium Peticum, et Soghectam modo praedicto adjustatas et sigillatas, ut supra, et vinum vendere cum dictis mensuris omnibus emere volentibus, et dicta vasa implere usque ad Summum, obtenta tamen prius licentia a Domino Potestate et Defensoribus dicti Castri et in Scriptis habita et....... Sigillo sigillata, continente pro quoto pretio vinum vendi debeat, adeo quod illi vendere possit pro majori vel minori pretio, quam in dicta licentia contineatur. Et quicumque contrafecerit in praedictis, vel aliquo praedictorum eadem poena puniatur, et de praedictis Potestas inquirere debeat semel in ebdomada et plus, et quotiens ei videbitur, et placebit, et repertos culpabiles de praedictis punire: Et cuilibet liceat contrafacientes accusare et habeant quartam partem banni, et eius nomen teneatur secretum: Et si Potestas fuerit negligens in inquirendo pro praedictis, poena Decem Librarum Denariorum puniatur.

DE MACELLARIJS, ET IPSORUM OBLIGATIONE, ET DE MODO VENDENDI CARNES AD MINUTUM

Cap. VI

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque voluerit vendere Carnes ad minutum eas macellare in Castro Gualdi in termino bannimenti ex parte Potestatis fiendi, venire et comparere debeat coram eo, quod bannimentum dictus Po-

tettas infra Quindecim dies post introitum sui Offi-
tii fieri facere teneatur, et qui in termino comparuerit
coram prefato Potestate faciat se Scribi, et promittat,
et juret ad Sancta Dei Evangelia corporaliter tactis
Scripturis, eorum artem bene, et legaliter, et bona fide
facere, et inviolabiter observare omnia et singula in
presenti Capitulo contenta: Teneantur etiam dicti
Macellarî, et Carnes vendere volentes habere, et tenere
Bilancias bonas, justas et legales, et omnia pondera ne-
cessaria, videlicet libram, mediam libram, unciam et duas
uncias, quadernam et mediam quadernam adjustatas ad
pondus Bilanciarum pro qualibet quaderna Sigillata
Sigillo Comunis, sive Offitiales dicti Castri, et cum
ipsis Bilanciis, et ponderibus carnes emere volentibus
ponderare bene, et legaliter, et nemini dare unam Carnem
pro alia, et non tenere in eodem loco simul carnes plu-
rium Bestiarum, nec facere possint Societates cum aliqua
persona et ipsas Carnes usque in Sex libras ponderare
debeant cum Bilanciis: ab inde vero supra cum Statera
ferrea, quam justam et sigillatam quilibet habere tenea-
tur, et ipsas carnes vendere teneantur pro pretio, quo
carnes venduntur in Civitate Fulginij, detracta gabella
ad Monetam novam, vel secundum provisionem Domino-
rum Defensorum et Consilii Spetialis: Teneantur etiam
et debeant ipsi Macellarî et Carnes vendentes ad minutum
macellare Bestias bonas, sanas et non infirmas, seu morta-
cinas, ad poenam Quinquaginta Solidorum pro quo-
libet contrafaciente, et vice qualibet de facto auferendorum:

Non possint nec debeant ipsi Macellarî ponderare, seu ad
pondus vendere capita, zampas, vel interiora Bestiarum, ad
poenam Viginti Solidorum Denariorum pro quolibet,
et qualibet vice: Carnes vero infirmae, seu mortacinae ven-
dantur et vendi debeant extra Portam, et non alibi ad poe-
nam Quatraginta Solidorum pro quolibet et vice
qualibet a contrafacientibus de facto auferendorum: Et an
dictae Carnes sint infirmae, mortacinae, aut minus legiti-
mae, stetur declarationi Dominorum Defensorum pro tempo-
re existentium et Potestatis pro tempore existentis: Et
ad hoc ut praedicta melius exequantur, ne per ipsos Ma-
cellarios fraus aliqua committi possit, Potestas qui pro tem-
pore fuerit primo tempore fuerit primo Mense sui regi-
minis teneatur, et debeat vinculo juramenti ad poenam Quin-
que Librarum Denariorum de suo salario retinendarum,
eligi facere unum bonum et legalem hominem habitato-
rem in Castro Gualdi, qui interesse debeat venditio-
ni, excisioni, et ponderationi dictarum Carnium, qui
juret bene, et legaliter suum officium exercere, et quos
culpabiles invenerit denuntiare et eius denuntiationi creda-
tur, sine quo Offitiali praedicto dicti Macellarî non
debeant macellare Carnes, ad poenam Viginti Solidorum.
Et si tali homo non reperiretur vel non fuerit electus,
dicti Macellarî non possint vendere seu macellare Carnes
sine expressa licentia Potestatis praedicti: Et si dicti
Beccarij contrafecerint incidant in poenam praedictam
pro quolibet et qualibet vice: Liceat cuilibet Macellario
ponderare pedes Porcorum, et Caput sine poena, et

banno: Aliarum vero Bestiarum capita, pedes, et interiora non liceat ullo pacto ponderare, et ad pondus vendere, ad poenam Viginti Solidorum pro quolibet contrafaciente, et vice qualibet de facto auferendorum: Et cuilibet licitum sit accusare, et denuntiare contrafacientes, et habeat quartam banni, non obstante aliquo Statuto in contrarium loquente: Et de omnibus supradictis poenis, de quibus Potestas fecerit executionem quartam partem recipiat.

QUOD NULLUS REMOVEAT SCALAS COMUNIS DE LOCO SUO.

Cap. VII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nulla persona de Castro Gualdi, vel eius districtu, vel aliunde audeat, vel presumat removere, vel elevare Scalas Comunis existentes prope aliquas Portas, vel alibi ubicumque occasione custodiae dicti Castri, et alibi portare, ad poenam Decem Solidorum Denariorum, et nihilominus cogatur ad restitutionem ipsarum, seu emendationem: Et Potestas Castri praedicti teneatur, et debeat vinculo juramenti fieri facere Scalas de ligno, ubicumque non essent expensis Comunis, prout Dominis Defensoribus, et Consilio Spetiali videbitur, et placebit.

DE DEPOSITARIO PIGNORUM

Cap. VIII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Camerarius Comunis, qui pro tempore fuerit, sit, et esse debeat toto tempore Offitii Camerarlatus Depositarius Pignorum, et om-

rii, et singula, quae alicui quacumque de causa auferrentur ad eius manus pervenirent, et pervenire debeant. Qui Camerarius praedicta Pignora alicui reddere non debeat, nequa possit sine licentia Potestatis, vel alterius Officialis dicti Comunis, per quem Pignus fuerit consignatum: Liceat tamen unicuique, cui Pignus acceptatum fuit, quacumque occasione fuisset acceptum, ipsum Pignus recolligere, et redimere infra Decem dies proxime futuros, a die quo fuerit oblatum computandos, videlicet solvendo in Comuni illam quantitatem, pro qua dictum Pignus fuerit acceptum, et si infra dictos Decem dies dictum Pignus non fuerit recollectum, a dictis Decem diebus in antea substuris pignorari possit tale Pignus pro ea quantitate, quam ille talis, cujus esset Pignus, solvere deberet in Comuni sine aliquo banimento fiendo: Possit tamen ipse Potestas ex sui parte, et mandato bannum facere, quod quicumque pignoratus esset in rebus, seu in aliquibus animalibus GRAVATUS fuisset, ex quacumque occasione, vel causa, suum Pignus, vel sua Animalia, seu Animal recolligere, et redimere debeat infra certum terminum statuendum in bannimento ad libitum Potestatis: Et si in ipsum terminum Pignus, seu Animalia, vel Animal non recolligeretur, a termino in antea tale Pignus, seu Animalia, vel Animal per Comune, vel Potestatem, sive Canallarium, si per ipsum dictum Pignus, seu Animalia, vel Animal fuerit oblatum vendi, vel pignorari possit cuique volenti: Et si Pignus, Animalia, vel Animal venderetur majori pretio, quam teneretur ille, cui oblatum esset, illud plus eidem restituatur: Et in casibus supradictis pignora praedicta repeti non possint per quoscumque a Bajulo praedicto

Camerario, vel alio Offitiali: Dicentes etiam, quod si aliqua persona poneret aliquod Pignus penes aliquem Tabernarium, seu Vinum vendentem ad minutum, quod tale Pignus recolligere teneatur in Decem dies postquam fuerit preceptum per Bajulum dicti Comunis ex parte Potestatis dicti Castri, quod preceptum dictus Potestas facere teneatur, ad petitionem illius, cui tale Pignus esset positum: Et si in dictum terminum Decem dierum tale Pignus recollectum non esset, ille talis Tabernarius, sive Vinum vendens sua auctoritate, licite et impune possit tale Pignus vendere, vel pro se retinere, et ab eo nullo tempore repeti possit, et si repeteretur, talis repetens non audiatur.

QUOD CUILIBET LICEAT ACCUSARE DAMNUM DANTES IN BONIS COMUNIS

Cap. IX.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod unicuique sit licitum denuntiare et accusare omnes et singulos homines, et personas cujuscumque conditionis existant damnum dantes in possessionibus cultis et non cultis, ac etiam silvis dicti Comunis ubicumque existant, et sub quocumque vocabulo tam personaliter, quam cum Bestiis, et habeat et habere debeat pro dicta occasione tertiam partem poenae, quae devenerit in Comuni occasione dictae accusationis, et eius nomen teneatur secretum, et eius accusationi credatur, uti Gualdario, vel Custodi Secreto, procedentes de similibus ad similia.

DE CLAVIBUS CIPPI COMUNIS TENENDIS

Cap. X.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod in Cippo Comunis sint,

et esse debeant duae Claves, quarum una sit, et esse debeat penes Potestatem, et altera penes Defensores pro tempore existentes: Qui Cippus aperiri non possit sine expressa licentia, presentia, consensu, et voluntati dicti Potestatis, et Dominorum Defensorum, et si aliter aperiretur, Potestas, et Defensores qui pro tempore fuerint, puniantur poena Centum Solidorum Denariorum pro qualibet vice, et quolibet ipsorum dictas Claves habentium et aperientium dictum Cippum praeter ordinem supradictum: Et quod dictum Cippum debeat aperiri palam inter ipsos sic presentes existentes, et Pecunia in eo reperta ponatur penes Camerarium dicti Comunis ad introitum ipsius Camerarij. Et si Potestas praedicta neglexerit puniatur poena praedicta.

DE NON ACCIPIENDO INVITOS NUPTIARUM PER COMUNE

Cap. XI.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si Comune Gualdi invitaretur ab aliquo Nobili, vel Magnate ad aliquas Nuptias, quod illa tali invitatio non acceptetur, nec acceptari debeat, sed omnino renuntiaretur: Et si per Potestatem proponeretur, vel per Priores, ipso facto priventur eorum Offitio, et nihilominus in Decem Libris Denariorum pro quolibet, et vice qualibet puniantur.

QUOD QUILIBET MERCATOR POSSIT TENERE
CENTUM BESTIAS PER SPATIUM DECEM DIERUM.

Cap. XII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quilibet Mercator de Gualdo, et eius districtu possit libere et impune tenere in Castro, et districtu Gualdi usque in Centum Bestias per spatium

decem dierum, excepti Capris, quas retinere non possint ultra duos dies: Et quicumque repertus fuerit dictas Bestias ultra dictum terminum retinere in Castro, vel Territorio Gualdi, puniatur pro quolibet die, quo steterit ultra dictum terminum cum dictis Bestiis, poena Centum Solidorum Denariorum.

QUOD NULLA PERSONA PROIJCIAT ALIQUEM TURPITUDINEM, VEL AQUAM IN VIJS, ET STRATIS COMUNIS.

Cap. XIII.

PROIJCIENTES TURPITUDINEM

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nulla persona audeat, vel presumat ponere, seu ponat aliquod ingomovamentum, seu impedimentum, vel etiam aliquem turpitudinem faciat, vel projciat in viis, et stratis publicis Castri Gualdi, nec de aliqua fenestra in viis, et stratis praedictis aquam, vel aliquam rem turpem projciat, ad poenam Quinque Solidorum pro quolibet, et vice qualibet, qua fuerit contrafactum, quam poenam contrafaciens de facto solvere compellatur: Et cuilibet sit licitum denuntiare, et accusare contrafacientes, et eius accusationi, et denuntiationi credatur, et eius nomen teneatur secretum, et habeat quartam partem banni: Dicentes etiam, quod nulla persona faciat aliquem turpitudinem in Casella, quae est extra Portam Superiorem prope ipsam Portam, et prope ipsam Casellam per mediam perticam ad justam perticam Comunis Gualdi circum circa ipsam Casellam, ad poenam Decem Solidorum Denariorum pro quolibet, et vice qualibet, qua fuerit contrafactum.

QUOD NULLA PERSONA PROIJCIAT TURPITUDINEM AD ALIQUAM PORTAM

Cap. XIV

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nulla persona audeat, vel presumat projicere lapides, cinerem, scopimen, vel aliam inmunditiam, seu impedimentum, vel rem fetidam, aut turpem a Porta Superiori dicti Castri per stratam Publicam, usque ad Portam inferiorem, et prope ipsam per perticam Communis Gualdi, ad poenam Quinque Solidorum pro quolibet contrafaciente, et vice qualibet, et cuilibet liceat delinquentes denuntiare, et accusare, et credatur eius Denuntiationi, vel accusationi cum juramento.

DE POENA OCCUPANTIUM PLATEAM COMUNIS.

Cap. XV.

Item statuerunt et ordinaverunt apprendat, vel occupet, seu apprendere, vel occupare presumat de Platea Communis Gualdi, nec in ipsa Platea aliquod ingomoramentum facere vel ponere, nec in domibus, seu domo existentibus circa Plateam praedictam facere, vel ponere portellum, vel aliquod aliud aedificium, ad poenam Centum Solidorum Denariorum pro quolibet contrafaciente et nihilominus quod factum fuerit removere, et elevare teneatur, et nulla persona de aliqua domo circum circa dictam Plateam projiciat aquam, seu aliquam aliam turpitudinem in dicta Platea ad poenam Quinque Solidorum Denariorum pro quolibet, et vice qualibet aufe-rendorum.

QUOD NULLA PERSONA LAVET PANNOS IN FONTIBUS

Cap. XVI.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nulla persona lavet pannos in Fontibus Olera, vel aliquam aliam turpitudinem faciat in aliquo

Fonte Comunis Gualdi, vel eius districtus, nec aliquod Macera-torium faciat prope ipsos Fontes per duas perticas, ad perticam Comunis ad poenam Decem Solidorum pro quolibet contrafaciente: Et nullus audeat in dictis Fontibus, vel aliquo ipsorum Subbalneare, vel Bestiam aliquam lavare, ad poenam Viginti Solidorum Denariorum de facto auferendorum: Et cuilibet sit licitum denuntiare, et accusare, et habeat tertiam partem banni, de parte venienti in Comuni, et eius nomen teneatur secretum: Et Potestas qui fuerit inventionem, sive alius Offitialis dicti Comunis habeat quartam partem.

QUOD LABORATORES NON POSSINT ABSQUE LICENTIA DOMINI POSSESSIONIS TERRAM RESTRUIGLIARE. Cap. XVII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nullus Laborator alicujus possessionis, possit vel valeat terram quam laboraverit absque licentia Domini, vel Patroni ipsius restrughiare, et si quis tantae temeritatis exstiterit, quod praeter voluntatem Domini illius terrae, seu possessionis restrughiaret, perdat et perdidisse intelligatur eius labores positos et .... in ipsa restrughiatione. Et nihilominus debeat talis laborator desistere a laborerio, et cultu dictae possessionis et terrae a die, et hora qua sibi prohibitum fuerit per Dominum et Patronum ipsius, ad poenam Quadraginta Solidorum pro quolibet contrafaciente, et vice qualibet: Dicentes insuper, quod si quis vendiderit, donaverit, permutaverit, vel modo aliquo obligaverit possessionem, vel terram, quam aliquis ad laboritum haberet, vel teneret, intelligatur jus laboratoris penitus preservatum, et nulli possit obligari sine ipsius licentia, et consensu, ad poenam Viginti Solidorum, et nihilominus de fructibus

earum respondere teneatur illi, cui tali venditio, seu concessio, vel permutatio facta fuerit, nisi secus inter contrahentes pacisceretur.

QUOD QUILIBET HABENS DOMUM IN CASTRO GUALDI TENEATUR ANTE EAM MUNDARE IN DIE SABATI

Cap. XVIII.

NON MUNDANTES ANTE DOMUM.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque habet domum in Castro Gualdi teneatur et debeat quolibet die Sabati, videlicet a festo Nuntiationis Virginis Mariae de Mense Martii, usque ad Kalendas Novembris inclusive ante domum suam scopare, seu spazzare, et mundare, luteram, lapides, et omne aliud ingomoramentum, ad poenam quinque solidorum pro quolibet contrafaciente, et qualibet vice: Et cuilibet sit licitum denuntiare contrafacientes, et eius denuntiationi credatur cum juramento, et habeat quartam partem banni, et eius nomen teneatur secretum, et nihilominus Potestas dicti Castri vinculo juramenti teneatur inquirere de praedictis, et qualibet die Sabati faciat fieri bannimentum de praedictis.

QUOD QUILIBET HABENS PARIETEM VEL MURUM COMUNEM CUM ALIQUO FRACTUM, TENEATUR POTESTAS CONSTRINGERE AD REFICIENDUM

Cap. XIX.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis haberet domum sub eodem tecto cum aliqua persona comunem, et fuerit tali domus, vel paries devastata, et alter eorum domum sive parietem reactare voluerit, inter se, et consortem suum Potestas dicti Castri teneatur, et debeat si tales consortes, seu convicini non essent in concordia, ad petitionem cujuscumque

ex ipsis consortibus, seu convicinis, cogere illum, qui reactare recusaverit, ad murandum, sive claudendum talem domum expensis communibus ipsorum consortium et convicinorum usque ad tectum talis domus, si alter ipsarum voluerit illud facere &c: Si vero alter ex convicinis vel consortibus altiare seu murare supra tectum voluerit, illud facere debeat suis expensis: Salvo quod si consors aliquo tempore voluerit domum suam altiare, illud facere non possit, si prius medietatem expensarum factarum in tali muro, non restituerit consorti, qui prius muravit, secundum extimationem duorum Magistrorum communiter eligendarum, et qui contrafecerit in praedictis, in Centum Solidis Denariorum condemnetur.

QUOD VENDENTES PANEM AD MINUTUM, SEU VINUM VENDANT PRO PRETTO ORDINANDO PER DEFENSORES

Cap. XX.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod omnes et singuli homines et personae vendentes, seu vendere volentes Panem, vel Vinum ad minutum in Castro vel destrictu Gualdi, ipsum Panem, et Vinum vendant, et vendere teneantur, et debeant omnibus emere volentibus, ad poenam Quinque Solidorum pro qualibet vice, qua cuique vendere recusaverit pro eo pretio quod per Defensores ordinabitur, ad poenam Decem Solidorum, et cuilibet liceat accusare et denuntiare contrafacientes, et habeat quartam partem banni, et eius nomen teneatur secretum, et sibi cum juramento credatur.

DE FONTIBUS COMUNIS APTANDIS ET MANUTENENDIS PER IPSUM COMUNE, ET ADIACENTES

Cap. XXI.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Fons Castellaris, qui est in Fossato Gualdi Fontes Comunis, aptentur et manuteneantur, et aptare ac manutenere debeant sumptibus et expensis Comunis, ad sensum, voluntatem, et deliberationem Dominorum Defensorum: Et Potestas teneatur, et debeat ad poenam Decem Librarum in suo Salario excomputandorum diligenter exequi, et executioni mandare pro posse, omne quod per Defensores dicti Castri Gualdi Superactatione, et manutentione Fontium praedictorum deliberatum exstiterit, et provisum. Item quod caeteri alii Fontes Comunis existentes in Territorio, et destrictu dicti Castri Gualdi aptentur, et manuteneantur, et aptari et manutenere debeant per Adiacentes ipsorum Fontium ad sensum et voluntatem Superstitis eligendi, et deputandi per ipsos Defensores, et confirmandi per Potestatem, ad instantiam cujuscumque petentis: Cui Superstiti debeant religiose adiacentes obedire in omnibus, et per omnia circa reactationem, et manutentionem dictorum Fontium, ad poenam Quinque Solidorum Denariorum pro quolibet contrafaciente, et qualibet vice de facto auferendorum per Potestatem ad requisitionem Superstitis praedicti, toties quoties per supradictum Superstitem fuerit petitum.

DE VIJS, ET STRATIS APTANDIS ET TERMINANDIS

Cap. XXII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod omnes et singulae

Viae, et Stratae Communis Gualdi intus, et extra dictum Castrum aptentur et terminentur, ita quod in qualibet parte sint amplae Quinque pedibus ad minus, ad pedem perticae Communis Gualdi: Et quicumque aliquam Viam, seu Stratam occupaverit, vel occupatam tenuerit vel tenet in totum, vel in partem totum illud quod reperiretur occupatum, vel apprehensum relassare cogatur, et nihilominus Viginti Solidorum poenam ipso facto incurrat.

QUOD POTESTAS NON POSSIT CUSTODIBUS ALIUD PRAECIPERE QUAM CUSTODIAM, PRAETER IN CASU NECESSARIO

Cap. XXIII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Potestas, qui pro tempore fuerit non possit, nec debeat praecipere aliquid, vel mandari alicui Custodi Portae dicti Castri, absque consensu Dominorum Defensorum pro tempore existentium, praeter in casu necessario, et oportuno, quo casu elevari possit unum, vel duos ad plus de custodia praedicta, sub poena Decem Librarum.

DE FORNARIJS

Cap. XXIV.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Potestas teneatur, et debeat in principio sui Offitii ante se venire facere omnes Fornarios dicti Castri Gualdi, et eis praecipere, quod scaldare Furnum, et bene coquere Panem debeant ad petitionem qui voluerit Panem coquere ad eorum Furnum diligenter et bona fide, et accipere Furnaticum consuetum et non plus, et dictum Panem custo-

dire quod non perdatur, seu destruatur, et quicumque Furnarius, vel Furnaria contrafecerit, in Decem Solidis Denariorum de facto vice qualibet puniatur, et nihilominus Panem, quem perderet, seu sua culpa guastaretur, illi cui esset, emendare teneatur. Et de his omnibus credatur illi, cujus Panis fuerit cum juramento

DE MULTURA GRANI PERCIPIENDA PER MOLENDINARIOS

Cap. XXV.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Conductor, sive Conductores Molendini Grani Communis teneantur et debeant omnibus, et singulis macinare volentibus percipere pro Multura Grani pro quolibet Cuppa unum Cuppitellum rasum, et non ultra, ad poenam Quatraginta Solidorum pro quolibet contrafaciente et qualibet vice. Et Conductor, sive Conductores dicti Molendini non possint macinare, neque accipere Multuram, sed praedicta fieri facere per Mollarios ad hoc deputatos, et quotiens fuerit contrafactum, de facto quilibet eorum Conductorum incidat dictam poenam: Et Potestas ad hoc ut melius praemissa observentur, faciat ad se venire dictos Mollarios, et jurare ad Sancta Dei Evangelia corporaliter tactis Scripturis, quod plus, vel ultra ut supra dictum est aliis non accipiant ad dictam poenam.

QUOD NULLUS IMPEDIAT CURSUS AQUARUM

Cap. XXVI

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nulla persona audeat, vel presumat impedire cursum alicuius aquae, ita quod per solitum locum cursum libere habere possit, et quicumque dictum cursum impedierit, vel removerit, debeat tolle-

re et removere omnem novitatem, et impedimentum impe-
diens talem cursum, ad petitionem cujuscumque petentis: et
praedicta Potestas fieri facere teneatur vinculo juramenti; et
quicumque non removerit talem novitatem infra terminum sibi
assignandum per Potestatem, incurrat poenam Quatragin-
-ta Solidorum, et nihilominus tale impedimentum tollere
compellatur.

QUOD CUILIBET SIT LICITUM TRASINARE
LIGNAMEN PRO EDIFICIIS PER POSSESSIONES ALIENAS

Cap. XXVII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod unicuique de Castro, et
districtu Gualdi volenti domum, seu aedificium facere, sit
licitum ligna, lapides, et quaecumque alias res necessarias
pro tali edificio portare et trasinare per terras, et possessiones
alienas sine poena: Dummodo per breviorem locum, et
minus damnosum transitum faciat, et antequam portet, vel
trasinet, petat iter sibi assignari per Dominum possessionis,
quem locum, sive iter ille, cujus esset possessio sibi assigna-
re teneatur, et si Dominus non assignaret, assignetur tali
volenti trasinare locus, sive iter per duos proximiores con-
vicinos ipsi possessioni. Et si ex tali portatione, seu trasina-
tione Dominus talis possessionis damnum aliquod substinue-
rit, damnum sibi emendari teneatur, secundum extimationem
fiendam per dictos proximiores convicinos.

DE NON FIENDIS ARCHIS, SEU VULTIS, VEL PORSELLIS
SUPER VIIS ET STRATIS COMUNIS

Cap. XXVIII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nullus possit, neque va-

leat elevare, seu edificare Archum lapideum, vel Voltam aut Portellum ex transverso de una domo ad aliam super Stratas, et Vias publicas Castri Gualdi, ad poenam Quinque Librarum Denariorum pro quolibet contrafaciente, et vice qualibet: Et nihilominus compellatur, et constringatur talis edificans Arcum, Voltam, vel Portellum ad illud removendum, et destruendum: Liceat tamen cuilibet volenti extra suam domum elevare Portellum duobus pedibus extra muros suae domus sine poena, et banno, et non ultra ad poenam praedictam.

DE SCALIS LAPIDEIS NON FIENDIS ANTE DOMUM AMPLIORIBUS TRIBUS PEDIBUS

Cap. XXIX.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nulli liceat ante hostium, sive domus edificare, seu construere aliquam scalam lapideam ampliorem vel longiorem tribus pedibus, non prejudicando convicinis suis: Et quod non possit aliquis aliquam Scalam lapideam, ut supra dictum est, et supra dicto modo edificare nisi prius habuerit licentiam a Defensoribus et Sindacis dicti Comunis: Quicumque vero contrafecerit puniatur vice qualibet in Centum Solidis Denariorum, et nihilominus compellatur ad removendum totum id quod edificaverit, et construxerit pro dicta Scala.

DE SALARIO TEXETRICIUM, ET SOLUTIONE IPSARUM

Cap. XXX.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nulla Mulier texens Pannum Lini, Canipae, seu Lanae possit, nec debeat re-

cipere, vel habere pro eius Salario, et labore ab illis personis quarum esset Pannus, quem tales Mulieres texerint, nisi unum Danarium pro quolibet legamine dicti Panni, scilicet pro quolibet Brachio tot denarios sive parmos, quot sunt legamina dicti Panni ad iustam mensuram Brachij Comunis, et nil aliud petere possit dicta occasione pro dicto Panno: Excepto quod dictae Textrices possint accipere et habere unum Danarium plus pro quolibet ligamine Panni ab octo ligaminibus supra usque ad duodecim ligamina: Ab inde vero supra habeant, et habere debeant Viginti Danarios pro ligamine et non ultra: Quaecumque vero contrafecerit, solvat nomine Poenae Quinque Solidos Denariorum, et Potestas qui pro tempore fuerit teneatur facere bannire saltem infra Mensem in principio sui Offitii.

DE CLOACIS REMURANDIS

Cap. XXXI.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque habet in Castro Gualdi aliquam Cloacam exeuntem in aliquam Stratam, vel Viam dicti Castri, teneatur, et debeat ipsam remurare, et aptare, ita quod nullum fetorem faciat transeuntibus, dummodo in muro unde Cloaca exit, possit quilibet habere foramen unde labatur aqua, et talis murus fieri debeat expensis illorum quorum esset dicta Cloaca: Et Potestas qui pro tempore fuerit ex suo Offitio ad petitionem cuiuslibet petentis predicta fieri facere teneatur: Et quicumque voluerit facere Cloacam, sive aliquod Seiacquatorium, non possit nec debeat facere supra terram altius quam per unum

pedem, et qui contrafecerit incurrat dictam poenam, et nihilominus cogatur dictum Suacquatorium ad remurandum, aut reducendum ad supra dictum modum.

QUOD NULLUS DE GUALDO POSSIT COMEDERE CUM ALIQUO FORENSE IN PALATIO COMUNIS, EXPENSIS COMUNIS

Cap. XXXII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si contigeret aliquem forensem venire ad Castrum Gualdi, quod nullus de Gualdo cuiuscumque conditionis existat, audeat, vel presumat cum ipso forense in Palatio Comunis Gualdi dum comederet expensis Comunis absque licentia Dominorum Defensorum comed...... ad poenam Viginti Solidorum pro quolibet et vice qualibet, ad quam poenam dicti Defensores minime tenenatur.

QUOD NULLUS DE GUALDO AUDEAT PASCERE BESTIAS ALIQUAS IN FOSSIS COMUNIS.

Cap. XXXIII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nulla persona de Castro Gualdi, vel aliunde audeat, vel presumat mittere in Fossis Comunis circum circa Castrum Gualdi Bestias aliquas ad pasculandum, ad poenam Quinquaginta Solidorum pro qualibet Bestia grossa, et qualibet vice. Pro qualibet vero minuta Solidos duos, et cuilibet liceat accusare, et eius accusationi credatur cum juramento.

QUOD OFFITIUM POTESTATIS DURET SEX MENSIBUS TANTUM.

Cap. XXXIV.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque fuerit Potestas, aut alius Offitialis Comunis Sex Mensibus

non possit esse ad idem Offitium inde ad Tres Annos immediate sequentes a die finiti Offitii computandos, et praedicta intelleguntur, et locum habeant in Offitialibus Forensibus.

DE MOLENDINIS
OLIVARUM
Cap. XXXV.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Domini et Patroni et Molendinari Molendinorum Olei existentium in dicto Castro Gualdi, sive destrictu eiusdem, teneantur et debeant singulo Anno pro quolibet Molendino Olei solvere, et cum effectu numerare Camerario Comunis pro tempore existenti Dex Libras Denariorum: Voluerunt etiam, quod dicti Domini, et Patroni et Molendinari dictorum Molendinorum Olei teneantur, et debeant singulo Anno dare, et tradere Camerario dicti Comunis pro tempore existenti pro Lampade, quae accenditur in Cappella Palatii Comunis Tres Betictos Olei pro quolibet Molendino: Et si praedicti et quilibet praedictorum ad requisitionem Camerarii praedicti in solvendo et dando praedicta fuerint negligentes, solvat pro quolibet, et qualibet vice de facto Quinque Solidos Denariorum et nihilominus cogatur ad observantiam omnium praedictorum

OLEUM PRO LAMPADA PALATIJ

QUOD NULLUS FACIAT PORSELLUM A LATERE EXTERIORI MURI COMUNIS
Cap. XXXVI

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nulla persona audeat

vel presumat habere, vel tenere in muro Castri Gualdi, seu in alia Domo contigua ipsi muro Castri ex parte exteriori Domus versus barbacanum Communis aliquod Porticum, plancatum, seu lignum extra ipsum murum, et quicumque habet, seu habebit in futurum, illud removere, et elevare teneatur, et debeat post praeceptum sibi factum ex parte Domini Potestatis, aut alii Officiali dicti Castri, et qui contrafecerit, et tale Porticum, lignum, vel plancatum non elevaverit, puniatur in Decem Libris Denariorum.

QUOD QUILIBET DE GUALDO DEBEAT HABERE UNUM STARIUM ORTI

Cap. XXXVII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quilibet de Castro Gualdi et eius districtu teneatur et debeat facere, et habere unum Starium Orti pro quolibet Foculari, poena Viginti Solidorum pro quolibet

QUOD NULLUS FACIAT TURPITUDINEM ANTE DOMUM ALTERIUS

Cap. XXXVIII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nulla persona de Castro Gualdi, vel eius districtu audeat vel presumat facere, vel fieri facere aliquam turpitudinem vel ingombramentum ante domum alicuius personae, ad poenam Decem Solidorum Denariorum pro quolibet contrafaciente, et vice qualibet.

DE NON LABORANDO PROPE FONTES

Cap. XXXIX.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nulla persona de Gualdo

vel eius districtu audeat, vel presumat laborare, nec laborari facere prope aliquam Pontem per dimidiam perticam, ad iustam perticam Communis Gualdi ad poenam Quatraginta Solidorum Denariorum auferendorum de facto per Potestatem. Et cuilibet sit licitum accusare, et habeat quartam partem banni, et eius nomen teneatur secretum.

QUOD SCRIPTURAE POSSINT COPIARI PER POTESTATEM VEL ALIUM OFFICIALEM

Cap. XL.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quaecumque Scripturae Communis Gualdi tam Civiles quam Criminales copiantur, et copiari possint, et debeant et pubblicari per Potestatem, aut alium quemcumque Officialem dicti Castri Gualdi, ad instantiam et petitionem cuiuscumque particularis personae volentis, seu petentis pro suo interesse et habeat et habere debeat pro premio et salario talis Scripturae publicae, vel non publicae pro qualibet charta talis Scripturae Bononenos duos, pro examine vero Testium recipiat, et recipere possit pro quolibet Teste examinato Bononenos duos, et non ultra.

COPIA SCRIPTURARUM

QUOD QUILIBET MANIBUS PROPRIJS MITTAT BANNUM IN CIPPUM COMUNIS PRESENTE UNO TESTE

Cap. XLI.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque cogeretur per Potestatem ad solvendam aliquam Poenam quacumque occasione in Cippum Communis ipse tali solutione, debeat talis solvens manibus propriis dictam poenam mittere in Cippum Communis, presente saltem uno Teste: et si Potestas aliter solvi fecerit, incurrat poenam Decem Librarum Denariorum.

DE POENA ESTRAHENTIUM AVEM DE ALIENO INGENIO

Cap. XLII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque Avem vel Aves acceperit, vel extraxerit de aliquo laqueo, ingenio, vel rete de possessione aliena, ipsum talem contrafacientem poenam Quinque Solidorum Denariorum debere solvere in Comuni: Et quilibet contrafacientem accusare possit, et valeat, cujus accusatione et denuntiatione, plenaria adhibeatur fides cum juramento.

DE POENA SUPERFLUE CORRUCTANTIUM

Cap. XLIII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quandocumque contingeret aliquam personam de Castro Gualdi, vel eius districtu mori, nullus audeat, vel presumat stare, nec ire extra domum talis mortui cum Caputeo extracto, seu capillos capitis sibi extrahere, vel manibus superautere, exceptis Patre pro Filio, Filio pro Patre, Fratre pro Fratre, et aliis defuncti attinentibus usque in tertium gradum: Et nulla Mulier post ipsum mortuum ire presumat quando portatur ad sepulturam, nec exire de domo defuncti, nisi quantum daret spatium dictae domus, et aliarum duarum: Quicumque autem contrafecerit solvat nomine poenae Viginti Solidos Denariorum: Et quod quicumque iret post mortuum vel ipsum associaret ad Ecclesiam, per viam, vel in Ecclesia non possit nec valeat vociferando flere, vel plorare, ita quod audiatur, ad poenam Viginti Solidorum Denariorum: Et simili poena puniantur Mulieres euntes inde ad Octo dies ad Ecclesiam alta voce ibidem flentes, et plorantes, ita quod audiantur ab aliis in dicta Ecclesia existentibus, et Potestas teneatur inquirere pro praedictis, et repertos culpabiles

punire.

DE QUI VELLET FACERE CISTERNAM

Cap. XLIV.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque de Gualdo vel eius districtu vellet cavare in dicto Castro pro aliqua Cisterna, Comune teneatur, et debeat dare volenti praedicta facere calcem pro medietate, et arenam ad sufficientiam pro dicto laborerio.

QUOD STATUTA CONTRA LIBERTATEM ECCLESIAE SINT CASSA

Cap. XLV.

Item statuerunt et ordinaverunt quod si in presenti Volumine Statutorum, essent aliqua Statuta facta contra Libertatem Romanae Ecclesiae, talia Statuta sint cassa, irrita, et nullius valoris, et ea pro cassis et irritis, et nullius valoris haberi voluerunt, et minime observari.

DE SCRIPTURIS EXTENSE SCRIBENDIS PER POTESTATEM

Cap. XLVI.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Potestas Comunis Gualdi qui pro tempore fuerit, teneatur et debeat omnes et singulas Scripturas Civiles et Criminales mittere et scribere in Libris, vel Quaternis Comunis extense, et finito suo officio omnes libros, et quaternos cum omnibus suis, et suorum Predecessorum Libris et Scripturis, quae ad eius manus pervenerint reassignare Defensoribus, et Camerario dicti Comunis: Et si contrafecerit, et negligens fuerit, condemnetur in Viginti quinque Libris Denariorum.

QUOD POTESTAS NON POSSIT REFIRMARI IN OFFITIO IN CASTRO GUALDI

Cap. XLVII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Offitium Potestatis dicti Castri duret, et durare debeat sex Mensibus tantum, et non ultra, et quod pro aliis sex Mensibus, vel pluribus, seu paucioribus non possit, nec debeat refirmari aliquo quesito colore, et qui arrengaverit, seu consilium dederit contra praedicta, solvat, et solvere debeat pro quolibet arrengante, et qualibet vice Quadraginta Solidos Denariorum

DE NON FACIENTIBUS CUSTODIAM ET ALIAS FACTIONES REALES ET PERSONALES

Cap. XLVIII.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod non facientes custodiam, et alias factiones tam reales quam personales in Castro Gualdi, et eius districtu tam homines, quam mulieres, solvant et solvere teneantur, et debeant pro qualibet dativa, quae imponeretur, et exigeretur pro parte dicti Comunis Gualdi pro qualibet Centena Librarum in quibus essent allibrati dicti non facientes custodiam, et alias factiones, ut supra, duos Solidos Denariorum.

QUOD PECUNIAE CONDEMNATIONUM VENIANT AD MANUS CAMERARIJ DICTI COMUNIS

Cap. XLIX.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod omnes quantitates pecuniarum dicti Comunis, ac etiam in Cippo Comunis repente perveniant et pervenire debeant ad manus Camerarii dicti Castri Gualdi pro ipso Comuni recipiens sine aliqua diminutione.

DE POENA RECUSANSANTIS DARE PIGNUS POTESTATI CAMERARIO, SIVE BAJULO COMUNIS

Cap. L.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis de dicto Castro vel eius districtu, sive habitator eiusdem recusaverit dare Pignus Potestati Cancellario, sive Bajulo dicti Comunis petenti dictum Pignus quacumque de causa, vel occasione, talis contrafaciens pro qualibet vice incurrat poenam Decem Solidorum de facto auferendorum; Et quod Potestas sive Cancellarius non possit ire ad pignorandum sine Bajulo Comunis, ad poenam decem Librarum Denariorum pro quolibet et qualibet vice de eorum et cuiuscumque ipsorum Salario retinendorum: Possit tamen Bajulus, et debeat, atque teneatur sine praedictis Potestate et Cancellario de commissione et mandato ipsorum, ad poenam cuiuscumque ipsorum arbitrij de salario ipsius Bajuli retinendam solus ire ad pignorandum, et qui recusaverit eidem dare Pignus, pro qualibet vice solvat poenam Decem Solidorum, ut supra dictum est: Et si quis vero Pignus acceptum invito Bajulo violenter abstulerit, solvat duplum supradictae poenae qualibet vice de facto absque aliqua condemnatione.

LIBER QUINTUS

Incipit Quintus Liber Datorum Dannorum

De poena facientis semitam seu trajectam per terram vel possessionem alterius

Cap. I

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis iverit, seu attraversaverit per terram vel possessionem alterius faciendo semitam vel trajectam, post bannimentum ex parte Cancellarii dicti Castri Gualdi factum ad requisitionem Dominorum seu Laboratorum dictarum possessionum, solvat vice qualibet si accusatus, vel inquisitus fuerit per Dominum rei vel Laboratores, vel eorum Procuratores, vel denuntiatus per Gualdarium vel per Cancellarium repertus Quinque Solidos Denariorum: Salvo quod habens terram, seu possessionem, quae non esset juxta viam, vel fossum, vel non haberet propriam viam, per quam ad dictam terram posset accedere, possit, et sibi liceat ad ipsam terram impune ire per terram vicinam, per breviorem locum, et minus dannosum, dummodo occasione dicti aditus nullum jus sibi possit acquiri in talibus terris seu possessionibus, et stetur, et credatur de itinere, seu aditu facto contra dictam formam Domino rei, vel Procuratori si recusaverit cum juramento: Si quis attraversaverit personaliter, vel cum Bestiis per terram, sive possessionem alterius non bannitam solvat Duodecim Denarios pro qualibet Bestia grossa, et qualibet vice, pro qualibet vero Bestia minuta Tres Denarios: Et quod vigore bannimenti ex parte Cancellarii facti ad instantiam cujuscumque per ipsum procedi non possit contrafacientem ad majorem, quam Quinque Solidorum poenam.

DE POENA NON TENENTIS CANEM LIGATUM

Cap. II.

Item Statuerunt et ordinaverunt, quod quicumque in Castro, vel districtu Gualdi haberet, seu habebet aliquem Canem masculum, vel foemenam, quod eum vel eam teneat, et tenere debeat continue ligatum, seu ligatam a Festo Sanctae Mariae de Mense Augusti usque quo Vineae fuerint vindimiatae per totum districtum Gualdi, et qui contrafecerit in Quinque Solidis Denariorum de facto pro quolibet, et vice qualibet puniatur si de die, si de nocte in duplum puniatur: Et nulla persona possit dicere, vel allegare quod talis Canis non sit suus, si ante dictum Festum talis Canis repertus fuerit fuisse penes eum: Canes vero reperti Soluti intus dictum Castrum, et infra ambas Portas superiores non teneantur ad poenam praedictam: Et cuilibet personae sit licitum denuntiare, et accusare, et habeat quartam partem pene, et eius nomen teneatur secretum.

DE SEPIBUS ET ARBORIBUS REMOVENDIS

Cap. III.

Item Statuerunt et ordinaverunt, quod si quis sepem, vel arborem habeat super terram alicujus per Sex pedes ad pedem perticae Communis Gualdi teneatur, et debeat ipsam sepem, vel arborem, vel elevare infra Quindecim dies postquam sibi fuerit protestatum per Dominum ipsius terrae, vel per Procuratorem, ad poenam Viginti Solidorum sibi de facto auferendorum: Salvo quod olivae, ficus, et omniae aliae arbores domesticae pendentes per quatuor pedes tantum ad dictum pedem elevari non debeant: Et cuilibet sit licitum intrare per possessionem

sui convicini per locum minus dannosum ad recolligendum poma, et fructus, et ligna incisa, quae caderent de eorum arboribus in terram sui convicini sine poena et banno. Et si aliquis haberet aliquam arborem super terram alterius, teneatur, et debeat ipsas arbores vendere Domino Terrae, si eas emere voluerit, pro justo pretio ad extimationem duorum proximiorum convicinorum: Et si vendere recusaverit, cogatur ad vendendum ipsas arbores pro eo pretio quod declaratum fuerit per duos proximiores convicinos ipsi terrae, quae tales arbores ad petitionem Domini terrae extimare teneantur, et si pro dicto pretio vendere noluerit, ille cujus esset terra possit impune tales arbores incidi facere, primo protestatione illi cujus essent arbores, quod talem arborem emere, et pretium solvere est paratus: Et si dicti duo homines non essent in concordia de pretio arborum, ponatur tertius extimator per Cancellarium, et quiquid per duos ex eis .... observetur, dummodo jurent talem extimationem facere bona fide.

DE POENA DANNUM DANTIUM PERSONALITER

Cap. IV.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua persona dannum dederit in Vineis, vel Pergulis colligendo Uvas, sive Agrestos usque in duos racemos, puniatur in Decem Solidis Denariorum: A inde vero supra pro quolibet racemo ultra dictam poenam solvat Quinque Solidos Denariorum si fuerit de die; si vero de nocte in Centum Solidis Denariorum vice qualibet puniatur, si racemum unum Uvarum collegerit. Dicentes etiam, quod

nulla persona de sua propria possessione, vel conducta possit exportare ultra unum racemum Uvarum, et qui contrafecerit, solvat pro qualibet racemo, et qualibet vice Solidos Quinque Denariorum: Si fructus Olivarum aliquis collegerit simili poena puniatur, videlicet de die in Decem Solidis Denariorum, et de nocte in Centum Solidis pro qualibet vice, et qualibet: Si vero Amindolas, seu Bacillos, vel Fabas recentes aliquis col-
-legerit, puniatur in Quinque Solidis Denariorum de die pro qualibet vice, et de nocte in Centum So-
-lidis Denariorum: Si vero aliquis Pira, Mala, Nuces, Glandes, et Ficus, et alios fructus Arborum collegerit puniatur in Quinque Solidis de die, et pro qualibet vice, si de nocte in Viginti Quinque Solidis Denario-
rum pro qualibet, et vice qualibet puniatur: Si vero Caules, Olera, Porros Allia, et Cepos, vel aliud de Ortis collegerit si de die in Viginti Solidis Denariorum, si de nocte in Quatraginta Solidis Denariorum puniatur: Pro frondatura Cannarum solvat Quinque Solidos Denariorum pro qualibet vice: Si vero inciserit Cannas Canneti a duobus supra usque in Centum solvat Decem Solidos Denariorum pro qualibet vice: Ab inde supra pro qualibet Centenario in Viginti Solidis Denariorum puniatur, et nihilominus teneatur ad restitu-
-tionem Damni illati: Exceptis minoribus Duodecim an-
-nis, qui in casu praedicto in medietate dictae poenae puniantur: Si vero palos vel pedagnolos aliquis de Vinea, seu possessione alterius abstulerit, videlicet si palos

a duobus supra in Quinque Solidis Denariorum pro qualibet vice puniatur, si pedagnolos abstulerit pro qualibet pedagnola in Centum Solidis Denariorum, et qualibet vice puniatur: Si quis vero de possessione alterius frascas, vel alia ligna parva exportaverit, pro qualibet fasce dictarum frascarum, seu lignorum, et vice qualibet, in Quinque Solidis Denariorum puniatur: Et hoc locum habeat in possessionibus cultis: In aliis vero possessionibus incultis, cuilibet sit licitum Coenare, nisi fuerit per Dominum rei prohibitum, videlicet per bannimentum ex parte Cancellarii factum ad instantiam petentis: Si quis vero scapecciaverit Ulmos, vel Salces causa faciendi herbam, solvat pro qualibet arbore Solidos Quinque Denariorum: Si vero herbam de crocho vel terra et possessione alicujus meteret, vel faceret, solvat pro qualibet fasce herbae quam secavit Solidos Quinque: Si quis de Paleario paleam abstulerit absque licentia Domini, pro qualibet fasce, crino, seu sacco, solvat nomine poenae Solidos decem Denariorum pro qualibet et qualibet vice si de die, si de nocte quatraginta solidos: Si quis exparaverit possessionem alterius, solvat pro qualibet vice Solidos Quinque Denariorum, et in qualibet dictorum casuum damnum dantes, teneantur ad emendationem damni illati secundum extimationem fiendam per Extimatores Comunis.

DE POENA DANNUM DANTIUM CUM BESTIJS

Cap. V.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si Bestiae alicujus Damnum dederint in Vinea plena Uvis, Dominus ipsarum Bestiarum, videlicet pro qualibet Bove, Vacca, Somario, vel Somaria, Mulo vel Mula, Equo vel Jumento, Porco vel Scrofa, Irco vel Capro, et aliis Bestiis similibus a Kalendis Martii, usquequo Vineae fuerint vendimiatae, solvat vice qualibet, et pro qualibet dictorum Animalium Solidos Decem Denariorum de die, si de nocte duplum: Si vero postquam Vineae fuerint vin-demiatae, solvat Solidos Quinque pro qualibet dictorum Animalium, et vice qualibet: Et idem intelligatur si dictae Bestiae damnum dederint in Pastino, seu Canneto ac si damnum dedissent in Vineis plenis Uvarum: Pro qualibet vero Pecude usque in tres Solidum unum, ab inde vero supra pro qualibet macta Pecudum, et vice qualibet Solidos Quinque Denariorum: Si vero in Pa-stino pro qualibet Pecude usque in tres Solidos duos, ab inde supra pro qualibet macta, et vice qualibet So-lidos Decem Denariorum Dominus ipsarum solvere tenea-tur: Si vero aliqua supradictarum Bestiarum damnum dederit in Orto, vel Crocho tempore quo flores sunt, pro qualibet Bestia grossa et qualibet vice Solidos Viginti, pro qualibet Bestia minuta usque in tres Solidos duos, pro qualibet macta dictarum Bestiarum minutarum Solidos decem Dominus ipsarum solvere teneatur: Si vero aliqua dictarum Bestiarum grossarum damnum dederit in aliquo Blado, Lino, Canape, vel Legumine a tempore seminatio-nis usque ad Kalendas Martij, solvat Dominus ipsarum

pro qualibet, et qualibet vice Solidos duos Denariorum, pro qualibet vero Peude usque in tres Denarios Sex, ab inde vero supra pro qualibet macta Solidos Quinque Denariorum: a Kalendis vero Martii in antea usque quo expleta fuerit Messura pro qualibet dictarum Bestiarum grossarum Solidos Quinque Denariorum, et qualibet vice, pro qualibet vero Peude usque ad numerum trium Solidum unum, ab inde supra pro qualibet macta Solidos Quinque Denariorum: Et si aliqua dictarum Bestiarum grossarum damnum dederit in Grano messo, et alio Blado, et legumine, Dominus ipsarum Solvat pro aliqua Bestia, et vice qualibet Decem Solidos Denariorum, et quod Porcus vel ...., Aries, seu Capra in damnis datis in qualibet casu, sint, reputentur, et accipiantur pro Bestiis grossis, et de nocte poena duplicetur..... Si vero aliqua Bestia minuta dederit damnum in dicto Grano, vel alio Blado, vel Legumine messo, Dominus ipsarum pro qualibet, et qualibet vice Solvat Denarios Duodecim pro qualibet vero macta Decem Solidos Denariorum, et de nocte poena duplicetur. Et si aliqua dictarum Bestiarum grossarum damnum dederit ad Granum, vel aliud Bladum, vel Legumen in Area alterius et itens, Dominus ipsarum Solvat pro qualibet Bestia et qualibet vice Viginti Solidos Denariorum, et pro qualibet Bestia minuta

PULLI Denarios Duodecim, et pro qualibet Pullo Denarios Sex: liceat tamen Domino Grani, Bladi, vel Leguminis tale damnum accipienti impune occidere dictos Pullos sic damnum dantes. Et si dicti Pulli damnum dederint in Orto, sive Paleario, Dominus ipsorum pro qualibet, et qualibet vice solvat Tres Denarios, et possit eos qui damnum passus fuerit impune

